tionis auctores, ſive quod indictum Concinæ præceptum, quo non obſcure ſibi ipſis quoque ſilentium indicebatur, ignorarent, quod non ita facile admiſerim, ſive quod verius fortaſſe fuerit, ſe neſcire diſſimulantes, ut Concinam acrius vexarent, *Hiſtoriam Probabiliſmi & Rigoriſmi* impugnare perrexerunt, ut poſt expoſitam concertationem P. *Bentii*, diſſertationis cujuſdam cauſſa excitatam, exponemus.

## CAPUT XV.

*Hiſtoria Diſſertationis editæ a P. Bernardino* Benzi *S. J. in Caſus reſervatos Venetæ Diœceſeos; adverſus quam Concina* Epiſtolas Theologico-morales *ſcribit.*

ANtequam poſtremos eoſque validiores PP. Societatis in *Probabiliſmi & Rigoriſmi Hiſtoriam* conatus memorem, celeberrimæ modo concertationis hiſtoriam hoc loci exordiar, & proſequar, in qua quid furor, animuſque Jeſuitarum in Concinam ferox ſane ac truculentus, excogitaverit, quam veriſſime fieri poterit, aperiam. Dabit mihi propterea lector hanc veniam, ut priore illa concertatione paululum dimiſſa, ab eaque digreſſus, ea heic percenſeam, quæ Bentianæ diſſertationis cauſſa contigerunt; ne nimium quam licet, chronologico neglecto ordine rerum, vagari atque excurrere videar incertus. Id quod fidentius etiam libentiuſque exequor, ut legentium animi, *Probabiliſmi* & *Rigoriſmi* nominum jam fortaſſe pertæſi, novæ controverſiæ expoſitione recreentur, ſi tamen citra indignationem audiri, legique ea poſſunt, quæ contra omnes Eccleſiæ ſanctiones, caſtioris ethices dogmata, ac Chriſtianæ charitatis regulas peracta ſunt. Amariorem ſane calamum expoſtulare videtur ſeries rerum narrandarum; ſed temperabo mihi ac modum ſtatuam, ne in idem, quod Concinæ inimicis ſæpius exprobraturus ſum, incidam vitium procacitatis. Itaque A. MDCCXLIII., eodem ſcilicet tempore, quo bellum Concinam inter & Jeſuitas ob *Quadrageſimam Appellantem* & *Probabiliſmi Hiſtoriam* fervebat, P. Bernardinus *Bentius*, Venetus Jeſuita diſſertationem edidit ita inſcriptam: *Diſſertatio in Caſus reſervatos Venetæ Diœceſeos*. Venetiis typis Lazzaroni MDCCXLIII. in 4. ac in 8. Caſum VIII. hiſce conceptum verbis: *Qualibet impudicitia cum Monialibus facta, vel quocumque modo attentata*, explanaturus *Bentius*, inter alia hujuſmodi quæſitum ſibi propoſuit: *an reſervatione afficiatur, qui cum Moniali peragat, vel attentet actus ſubimpudicos de ſe veniales*, v. g. *vellicare genas, mammillas tangere, & ſolum ex pravo affectu vel ex prava intentione mortales*; cui ita ſatisfecit. *R. Negative: nam juxta noſtram regulam octavam, nonniſi peccata per externam malitiam mortalia reſervantur*. Fere per annum Concinam latuit iſthæc diſſertatio. At quia enormis hæc & ſcandali plena ſententia offenderat multos, ita non defuere qui illius quærerent oppugnatorem. Duo ex Capuccinorum familia Patres Hieronymus a *Caſtro Franco*, & Felix a *Venetiis* eam diſſertationem ad Concinam detulerunt, ut læſam a *Bentio* caſtitatem defenderet. Concina tunc temporis & ſacris diſtentus concionibus, & Chriſtianæ Theologiæ, in quam toto pectore incumbebat, elaborandæ intentus, ſe tum illorum votis ſatisfacere haud poſſe reſpondit: facturum autem poſtea, cum opportuniorem occaſionem, ac tempus neceſſarium habuiſſet. Interim P. Fulgentius *Cuniliatus* Ord. Præd., eximiæ pietatis & doctrinæ Theologus, *Bentium* admonere decrevit; probavitque Concina pii hominis conſilium. Uſus eſt autem ad id opera Canonici *Oker*; qui per epiſtolam *Bentium* hortatus eſt, ut ab ſe traditam in Caſus VIII. explanatione doctrinam vel revocaret, antequam ſcandalum ulterius creſceret, vel, quod erat factu facillimum, ea ſublata pagina, aliam in ejus locum ſufficeret. Sed fruſtra. *Bentius* propoſiti tenax tantum abfuit a pii admonitoris conſilio excipiendo, ut potius, die 4. Januarii A. MDCCXLIV. data ad eumdem epiſtola, ſententiam ſuam defendere conatus ſit (1) eoſque reprehenderit, qui contra ſentirent. Ubi ma-

Noſtro Signore che di ciò ſua Paternità Reverendiſs. renda inteſi tutti quei ſuoi Religioſi, alle orecchie dei quali foſſe pervenuto il primo ſuo ordine, che per altro reſterà fermo ſolamente quanto agli ſcritti detti di ſopra ec. *Epiſtolii hujuſce exemplar Concinæ miſit* Urſius, *ex cujus epiſtola illud exſcripſimus*.

(1) Primieramente da una parte la Diſſertatione del *P. Benzi* prima di ſtamparſi (oltre a publici Reviſori) è ſtata riveduta da più Teologi: dall'altra parte la medeſima diſſer-



bi malum ſerpere quotidie latius, & ipſa patientia corroborari *Bentii* doctrinam Concina ſenſit, non diu diſtulit Bentianæ diſſertationis refutationem. Itaque duas latinas epiſtolas ita inſcriptas edidit: *Epiſtolæ Theologico-morales ad Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum N. N. adverſus librum inſcriptum*: Diſſertatio in Caſus reſervatos Venetæ Diœceſeos. 4. *Venetiis* MDCCXLIV. In quibus valido & vehementi ſtylo, quemadmodum opus erat, cum recenſitam *Bentii* (cujus tamen nomen ſilentio preſſit) doctrinam, cum alia ſingularia placita ejuſdem diſcuſſit, & magno pondere monumentorum Theologicorum egregie perſtrinxit. Summo proborum omnium favore exceptæ fuere hujuſmodi epiſtolæ, & non multo poſt cum Romæ, tum Lucæ, & Venetiis denuo editæ ſunt. Concina deinde de tradita a *Bentio* doctrina Joſephum Auguſtinum *Urſium*, tum Sac. Congregationis *Indicis* a ſecretis, certiorem fecit. *Urſius* idem cum *Benedicto XIV*. communicavit, qui dictis ejus vix fidem habens juſſit, ut Bentiana diſſertatio epiſtolarum faſciculo, quo Apoſtolicæ Sedis ad Venetorum Rempublicam ablegati epiſtolæ concluduntur, adjungeretur. Tum vero, ea non ſine animi mœrore perlecta, juſſit ut eadem ad ſacram S. Officii Congregationem deferretur, unde, opportuno examine, damnaretur. Fama inde Bentianæ doctrinæ ubique vulgata, obſtupuerunt plerique, qui hujuſmodi doctrina inſtauratam quodammodo ſectam videbant ea longe deteriorem, quam quæ olim inter *Anabaptiſtas* exorta fuit, quorum non pauci etſi eximendum pœna putaverint, non tamen crimine abſolverunt juvenem illum, quem alii, coacto conventu, excommunicationi ſubjiciendum arbitrabantur, quod manus in ſinum virginis ſibi deſponſatæ injeciſſet (1). Harum rerum Jeſuitæ minime ignari in iis circumſtantiis artes omnes in ſui præſidium vocarunt. Incredibile dictu eſt quot quantaque in Concinam per domos infimorum atque nobilium dictitaverint. Nullum convicii genus fuit, quod in illum non expueret eorum ſacer furor. Graviora poſtmodum meditati, P. *Villarium*, Jeſuitam Venetiis agentem, & magnæ exiſtimationis hominem, totius conjurationis executorem delegerunt. Hic ſuorum ſociorum adhortationibus compulſus ad Marcum *Fuſcarenum*, Virum ampliſſimum, atque unum e Patavinæ Academiæ Triumviris, ſe contulit, eique ſignificavit, *Bentium* Veneti Patriarchæ juſſu diſſertationem illam, cujus cauſſa tot rumores audiebantur, adlaboraſſe: hanc ipſummet Præſulem ſuo probaſſe ſuffragio, ac Parochis commendaſſe, ut *id ipſum ſaperent omnes*. Marcus *Fuſcarenus*, homo cetera oculatiſſimus, hominis pietatis & doctrinæ fama notiſſimi oratione commotus, hamum voravit. *Villarius* tum ubi ſe verba non inutiliter feciſſe novit, *Fuſcarenum* acrius in ſententiam ſuam traducere ſenſim perrexit, atque in Concinam incitare: hunc ſcilicet *Bentii* diſſertationis oppugnatione ſe factioſum hominem, tumultarium, ac publicæ quietis perturbatorem manifeſtaſſe; ceu qui probatum a tanto Præſule Opus adeo inſolenter exagitaſſet: optimum propterea ſibi conſilium videri *Fuſcareno* ſuggeſſit, ſi Concinianas epiſtolas, in admiſſi ab illarum auctore criminis pœnam, ſua auctoritate ſupprimendas curaſſet, quæcumque cauſſæ ratio eſſet habenda. His omnibus plenam adhibens fidem *Fuſcarenus* publico in Magiſtratu ſociis ſuis Concinæ epiſtolarum ſuppreſſionem commendavit non modo, ſed pro ea obtinenda gravis-

diſſertazione dopo la ſtampa ſeguita fin dal principio della paſſata Quareſima è ſtata letta da moltiſſimi Confeſſori Secolari, e Regolari, Parochi, ed altri Eccleſiaſtici anche di carattere più diſtinto; eppure neſſuno d'eſſi per l'addietro ha condannara detta diſſertazione. Secondariamente il *P. Benzi*, benchè, come è a me noto, egli ſi crede capaciſſimo di errare, non è sì facile che abbia errato in queſta materia, mentre da 24. anni, e di queſti 15. in Venezia aſſiſte al Confeſſionale, e per otto anni (oltre al ſuo privato ſtudio Teologico) ha inſegnata la Teologia morale ec. *Allatis hinc aliquot Theologorum doctrinis propriam opinationem propugnare ac tutari nititur. Hanc porro epiſtolam* Bentius *ad* Okerium *miſit tanquam ab altero homine in ſui apologiam compoſitam, revera tamen a ſe conſcriptam, ſuique mentem præſeferentem, ut conſtat ex initio alterius epiſtolæ ejuſdem* Bentii *ad citatum Canonicum* Oker: Mando a V. S. Riveritiſs. l'accluſa lettera (*ideſt eam, cujus fragmentum modo adduxi*) contenente il mio ſentimento intorno al conſaputo caſo, acciochè Ella poſſa prevalerſene, moſtrandola a chi, e come la ſua ſaviezza giudicherà opportuno ec.

(1) *Petrus* Bayle *Art.* Mamillaires.

graviſſime, ut ſolebat, diſſeruit. At obſtitit ipſi *Paſchalicus*, alter rei litterariæ curator, qui hiſtoriam omnem jam antea probe cognoverat. Tum Concina *Paſchalici* nomine atque conſilio ad *Fuſcarenum* acceſſit, totamque ſeriem rerum ipſi accuratiſſime expoſuit. Acris ingenii Senator tum iis, quæ a *Paſchalico* audierat, tum Concinæ narratione edoctus, a ſententia diſceſſit, ſeque a *Villario* belle captum atque deceptum faſſus eſt. Quod exinde non ſine animi ſtupore narrare ſolitus fuit, vix oculis credere ſuis affirmans, religioſum hominem, quem magni ſemper fecerat, tam fidenter ad ſibi illudendum acceſſiſſe. Quæ quidem omnia tum a *Fuſcareno* ipſo, aliiſque graviſſimis viris narrata ſæpius iis, qui tunc temporis Venetiis aderant, non erit cur Jeſuitæ in dubium vocent. Quamquam hæc omnia, atque alia omni ſuſpicione falſi, dubioque eximunt ea, quæ Jeſuitas poſtmodum in *Bentii* defenſionem, & Concinæ dedecus perfeciſſe conſtat. Hæc vero, aliaque in Concinam tentamina, & jugis vociferatio Jeſuitarum notiorem controverſiam effecerant. Dicteria, jurgia & injuriæ in Concinam uſque eo creverant, ut in triviis, in ſympoſiis, aliiſque locis religioſo viro malediceretur, nulliuſque rei haberetur mentio frequentior, quam an tangere *mammillas monialium*, earumque *vellicare genas* lethale crimen eſſet habendum. Plerique quæſtionis minime ſolliciti, ſeu verius ignari, haſce vociferationes joco excipiebant: alii pro aris & focis Jeſuitarum doctrinam ſuſtinebant, & Concinam omni genere conviciorum onerabant: alii denique politico ſupercilio agitatæ concertationis exitum expectare viſi ſunt: probi vero piique viri lugere ac triſtari. Jeſuitæ Romæ ( ubi ſcilicet fortioribus erat opus patronis ) exiſtentes palam *Bentii* vindicias ſumſerunt, S. R. E. Cardinalibus, & ſacrarum Congregationum Conſultoribus ſcriptione oblata, in qua Concina atra bile, & furore percitus traducebatur. Teſtimonia inſuper ac ſuffragia Dominicanorum Auctorum oſtentabant, ut imperitis rerum *Bentii* doctrinam Dominicanis communem eſſe venditarent. At ubi rem ad triarios redactam, & *Bentium* ab enormi errore excuſari haud poſſe comperere, fati præſcii, Concinæ quoque *Theologico-morales epiſtolas* tanquam livore plenas, ad ſacram Congregationem, nigro theta notandas, detulerunt. Tum iis, quorum intererat ſententiam ferre, omni vi atque calliditate perſuadere conati ſunt, optimum ea in re remedium eſſe, Concinianas quoque epiſtolas proſcribere, atque utrique parti exinde ſilentium imponere. Dum hæc molirentur, & inani ſpe Concinianarum epiſtolarum damnationis animos ſolarentur multorum fere trepidantium, die 16. Aprilis A. MDCCXLIV. ſolemni Congregationis ſanctiſſimæ Inquiſitionis decreto, *Bentii* diſſertatio carbone notatur, tanquam continens propoſitiones *reſpective falſas*, *male ſonantes*, *ſcandaloſas & piarum aurium offenſivas*. Quo decreto pariter Summus Pontifex damnavit quaſcumque ſcriptiones ſive jam editas, ſive prodituras in *Bentii* defenſionem (1). Adeo tanto Pontifici cordi erat, ut fœda doctrina uno ictu periret. Neque ſatis hiſce conſultum putans ſcandalo, quod intulerat *Bentii* diſſertatio, voluit Pontifex, ut hujus auctor publico ſcripto palinodiam caneret, quod celerrime, & libentiſſime etiam, ut accepimus, præſtitit (2). Hunc deinde, quem Venetus Patriarcha ſua in Diœceſi
ſacras

(1) Eademque prohibitione (Sanctiſſimus D. N. D. Benedictus PP. XIV.) damnat & vetat quaſcumque ſcripturas, ſeu libros editos, vel edendos ejuſdem libri defenſionem continentes. *Poſt quæ hæc alia ſubdit:* Hunc itaque librum ſeu libros ſic damnatos ac prohibitos idem SS. D. N. vetat, ne quis cujuſcumque ſit ſtatus & conditionis, ullo modo, & ſub quocumque prætextu, iterum imprimere, vel imprimi facere, vel tranſcribere, aut etiam impreſſum, vel impreſſos, aut tranſcriptos apud ſe retinere, & legere audeat. Sed ipſum aut ipſis Ordinariis locorum, vel hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus ſtatim & cum effectu tradere, & conſignare teneatur ſub pœnis in Indice librorum contentis.

(2) Cum in meo Libello, cui titulus eſt: *Diſſertatio in Caſus Reſervatos Venetæ Diœceſeos*, impreſſo Venetiis A. MDCCXLIII. nonnulla mihi exciderint, quæ audio multorum aures offendiſſe, quæque ego re melius conſiderata probanda non eſſe dico, ex animi mei ſententia revoco, & retracto propoſitionem qua aſſerui: *Vellicare genas & mammillas tangere monialium eſſe actus ſubimpudicos, de ſe veniales & ſolum ex pravo affectu, vel ex prava intentione mortales*, tanquam rem falſam, ma-
le



ſacras Fidelium exhomologeſes excipiendi auctoritate privaverat, Jeſuitæ, inito concilio, Patavium ablegarunt. Publicato exinde Venetiis Apoſtolico decreto, quo *Bentii* diſſertatio damnabatur, quænam confuſio pudorque PP. Societatis, eorumque ſtudioſos inceſſerit, facile quivis intelliget: tot enim in Concinam declamationes curioſos quoſque ſummam in expectationem adduxerant, quiſnam exitus controverſiæ eſſet futurus. Major pars, quid effutiret, ignorabat: nonnulli Pontificem ſtudio partium laboraſſe impie dixerunt: alii alia, quæ referre non vacat, excogitarunt. Rumores tamen ſedare, ac extinguere Jeſuitæ percupidi, a rei Litterariæ curatoribus, agentibus quammaxime eorum patronis, obtinuerunt, ut tam proſcriptæ diſſertationis, quam Concinæ epiſtolarum publica vetaretur alienatio. At hoc levis momenti fuit: nam Concinianæ epiſtolæ privatim quotidie divendebantur. Juſſum præterea typographis ne eaſdem denuo cuderent; ſed cum hoc Archibibliopolæ ſuggeſtio potius, quam rei litterariæ curatorum mandatum haberetur, poſt tres menſes, caute tamen, prælo ſubjectæ ſunt. Qua vero religione PP. nonnulli Societatis Romanorum judicum adverſus *Bentium* ſententiam exceperint, ex multiplicibus ſcriptionibus conſtabit, quas percenſeam, poſtquam nonnulla de ſatyra, a P. *Scarponio* edita, protulero.

## CAPUT XVI.

*De P.* Scarponii *S. J. ſatyra*, ſcudiſcio *inſcripta, atque adverſus Concinam alioſque vulgata.*

ANtequam bene multas nonnullorum PP. Societatis Jeſu ſatyricas ſcriptiones percenſeam, quas in proſcriptæ Bernardini *Bentii* doctrinæ vindicias evulgarunt, liceat mihi nonnulla dicere de ſatyra illa, *ſcudiſcio* dicta, quæ manu exarata ad manus multorum pervenit, & pleroſque excitavit ad tantæ acerbitatis inveſtigationem. Igitur ſatyrici hujuſce poematii vulgandi cauſſa hæc fuit. Menſe ſextili A. MDCCXLIII. diſputationem Theologico-moralem habuit in Seminario Peruſino P. *Pozzettius*, ex Ordine Servor. B. M. V. Theologus. P. *Archibugerius*, monachus Camaldulenſis, quum ad eam diſputationem acceſſiſſet, petiit a theſium vindice, num ſextans indicæ potionis, ſeu cocholatis jejunio adverſaretur, illudque frangeret. Cui cum ille probabile ſibi eſſe reſpondiſſet, quinimmo, inquit *Archibugerius*, pluſquam probabile mihi eſt: utque feriis jocum miſceret, atque lectiſſimam recrearet coronam; *numquid tibi*, inquit, *Jeſuitarum ſententia adridet, qui hujuſmodi potionem in magna copia abſorberi poſſe defendunt?* Jeſuitæ partim quod ad diſputationem non fuiſſent vocati, partim vero & potiſſimum hujuſmodi joco, quem publico in loco dictum probare non auſim, exulcerati, altiſſimas ediderunt lamentationes. Poſt dies non multos P. Didacus *Redius*, Jeſuita Aretinus, cantilenam quandam, ad normam Anacreontici metri exaratam, in vulgus emiſit, in eaque demonſtrare aggreſſus eſt, immerito opinionis illius ſolos Jeſuitas traduci auctores; falſo nimirum laborans ſuppoſito, ut Philoſophi dicunt, quaſi ſcilicet *Archibugierius* eam ſolis Jeſuitis opinionem adſcripſiſſet. Gradum inde ſibi *Redius* faciens ad inopportunas Societatis vindicias, cum plura ipſi tributa, tum præcipue *Paſchalis* ad Provincialem epiſtolas vituperat, & Matthæi deinde *Mojæ* fretus teſtimonio pronunciat, infenſiores hoſtes Societatis Janſeniſtas fore. Aliquanto poſt P. *Scarponius*, ejuſdem Societatis, canticum arrogantiſſimum, ad Franciſci *Bernii*, ludicri poetæ imitationem, Peruſiis vulgavit, excepitque *Archibugierium* probris, & injuriis, & minis. Hujuſmodi cantico *Archibugierius* reſpondit altero cantico prolixis exornato enarrationibus, in quibus ſententiæ ſuæ firma adtulit momenta, atque indicavit futurum brevi Probabiliſmi caſum, cui tot jam vulnera Apoſtolica Sedes inflixerat. Utque recentioribus exemplis, omiſſis veteribus, conſtaret veritas adſertionis ſuæ, duorum meminit *Benedicti XIV.* diplomatum, quorum altero Sinenſes Ritus confixi ſunt, altero vero eorum damnata ſententia fuit, qui jejunium cum eſu car-
nium



le ſonantem, piarum aurium offenſivam, & ſcandaloſam. Inſuper declaro me improbando ſpecialiter recenſitam propoſitionem nolle alias a me in eo libello ſcriptas probare, ſi quas minus caute, vel minus opportune ſcriptas prudens lector deprehenderit; ſed ea omnia ſuperiorum judicio, ac determinationi S. R. E. reverenter ſubjicio, paratus revocare & improbare quæcumque ab ea reprobantur.

*Bernardinus* Benzi *Soc. Jeſu.*

nium non eſſe conjungendum putaverant. Harum commemoratione rerum furentes plerique homines Societatis ſatyram, *Scudiſcio* nuncupatam, Peruſiis diſſeminarunt, auctore præcipuo, atque architecto eodem P. *Scarponio*, cujus modo meminimus. Ad ſpecimen maledici carminis, quod adhuc deliteſcit, ſat fuerit heic exſcribere primos verſus, qui hujuſmodi ſunt:

*Or quì della tua lena ſer Apollo*
*E' d'uopo, ma di quella più robuſta*
*Per dar ad un* fraton *tra capo e collo*.

In hac autem ſatyra P. *Scarponius* cum multos probos doctoſque homines, tum præcipue Concinam laceravit; cujus elucubratio, plena nervorum atque doctrinæ, *Benedictum XIV.* non leviter impulerat ad edendum illud diploma, quod *Scarponio Archibugierius* objecit. Rem hanc totam per epiſtolam indicavit Concinæ Hyacinthus *Gratius*, (1) Peruſinæ urbis Bibliothecarius; cujus nos alias ſervamus epiſtolas, quæ a nobis, ſi opus fuerit, vulgabuntur. Interim poſt editum cinicum carmen P. *Scarponius*, Peruſiis abire coactus, Senis Theologici obeundi muneris cauſſa conſedit. Ibi die quadam Caſum conſcientiæ, ut vocant, ſoluturus in Archiepiſcopi Senarum atrio in numerum hæreticorum Danielem Concinam, & Natalem *ab Alexandro* rejecit; illud addens præter multa, *Theologiam Chriſtianam* haud fuiſſe proſcriptam, quemadmodum æquum erat, eo quod *Benedicto XIV.* eſſet inſcripta (2). Quaſi vero jam facillime e memoria hominum excidiſſet P. *Noberti*, piiſſimi, fortiſſimique olim e Cappuccinorum familia hominis, fatum, cujus commentaria, eidem ſapientiſſimo Pontifici nuncupata, nemo ignorat fuiſſe proſcripta.

## CAPUT XVII.

*Bentianæ Diſſertationis vindicias infelici exitu obit P. Jo: Baptiſta* Faure *S. J.*

BEntiana diſſertatione tam claris formulis proſcripta, atque ad canendam palinodiam auctore compulſo, exorta concertatio finita ac plane abſoluta credebatur. At vero præter omnium ſpem, quaſi tam ſolemni decreto celeberrimæ Congregationis Patres claſſicum ceciniſſent ad vehemens atque atrox bellum committendum, quamplures ex Societate Jeſu homines in arenam deſcenderunt, eo fine atque conſilio, ut & *Bentii* proſcriptam doctrinam defenderent, & Concinam tanquam damnationis auctorem immaniter lacerarent. Quod igitur nemo religioſi animi vir ſibi tam facile in animum induxiſſet, hoc primus omnium eſt auſus P. Joannes Baptiſta *Faure*, qui Romæ, hoc eſt in luce omnium gentium & ſub ipſorum judicum oculis, libellum edidit, hunc titulum præferentem: *All' Autore delle due epiſtole contro la Diſſertazione dei Caſi riſervati in Venezia* Avviſo *ſalutevole, acciò conoſca ſe ſteſſo*. Napoli MDCCXLIV. cum hac Divi Auguſtini ex libro *de Trinitate* ſententia: *Gratanter ſuſcipit oculum columbinum pulcherrima & modeſtiſſima charitas, dentem autem caninum vel evitat acutiſſima humilitas*. Libellum hunc, quem vere *Monitum* peſtiferum dixeris, ubique ſparſere Jeſuitæ; & præter alios hujus cum laude meminit Venetus *Litterariarum Ephemeridum* conſarcinator, cum rerum Theologicarum, tum omnium aliarum diſciplinarum plane inſcius (1). Poſt primum hoc *monitum*, ſecundum etiam lucem adſpexit, priori non abſimile; nec mirum: eundem enim auctorem habet; qui virus ſuum in primo non omnino effudiſſe ratus, in hoc ſecundo totum evomuit. *Monitum* hoc ſecundum vulgatum eſſe poſt editum decretum a ſac. Congregatione adverſus *Bentii* diſſertationem, au-

(1) *Epiſt. x. pag.* 18.
(2) *Narrat id facti auctor infelix verſionis, & obſervationum ad epiſtolas Ab.* Covet. *Obſervat. 6. ad Epiſt. II. pag.* 101. *editionis Venetæ apud* Bettinellum A. MDCCLX.
(3) Novelle della Republica delle lettere *Ad ann.* MDCCXLIV. *pag.* 357. *Miratur autem, neſciens admirationem eſſe ignorantiæ ſignum, Moniti auctorem in ſui præſidium SS. Thomæ, Antonini, Bonaventuræ teſtimonia adferre, atque laudare; nihil prorſus ſollicitus an bene vel male horum Patrum doctrinas auctor adduxerit.*



auctor ipſe fatetur (1), qui licet, ut fucum imperitis faciat, ſe *Bentii* defenſionem ſuſcipere nolle proteſtetur, revera tamen æthiopem dealbare conatur, & nihili faciendas eſſe demonſtrare nititur Concinianas epiſtolas, queis tamen permotos illius Congregationis Patres *Bentii* doctrinam damnaſſe vel ipſi Jeſuitæ faſſi ſunt (2). *Monita* hæc quamvis initio caute & diligenter ſparſa, *in Urbe* tamen *omnium gnara*, ut Taciti ſententia utar, *& nihil reticente*, diſſipata ſunt non ita occultiſſime, ut noſci non potuerint ab iis, qui ad præpoſteras atque ſceleſtas hujuſmodi ſcriptiones impediendas quotidie advigilant. Re itaque ad S. P. A. Magiſtrum delata *ejus* juſſu inquiſitio peracta eſt. Immiſſo ſatellitio quingenta exempla *Monitorum* in officina *Settarii*, Romani Bibliopolæ adinventa ſunt. *Settarius* illico in carcerem conjectus, judicumque ſubjectus examini faſſus eſt, ex *Mainardi* typographio duo illa *monita* prodiiſſe; PP. vero *Faurium* & *Caſtellinium* Jeſuitas editioni illorum præfuiſſe. Ac revera ſatellites apud *Faurium* *Monitorum* autographum reperere. At ipſe chirographo jam fere convictus, ubi tandem ſe vidit in occultandi criminis deſperationem adductum, juramenti religione interpoſita affirmavit, ſe illa *Monita* ex alio antigrapho exſcripſiſſe. Sceleris tamen ab eo admiſſi argumenta erant adeo clara, ut dies aliquot ſpiritualia, ut vocant, exercitia peragere, jejunia inſuper ac flagella perferre coactus ſit. *Caſtellinius* qua pœna mulctatus fuerit, mihi incompertum. Nullam tamen pertuliſſe crediderim, tam levi inflicta potiſſimo auctori. *Settarius* ſumtus inter & ſequeſtrationes rerum ſuarum miſerrime interiit; ſuamque uxorem viduam reliquit, quæ miram, dum vixit, *Monitorum* illorum energiam flebiliter prædicavit: *Mainardus* vero juxta legum præſcripta non modicam auri ſummam perſolvit. Proh ſcriptionum peſtilentiam! quæ & mulieres orbare maritis, & marſupia mercenariorum hominum potuerunt excutere. Magnum tamen cæteris bibliopolis & typographis exemplum, ut certa ratione moderentur appetitionibus ſuis, neque aut fallacibus promiſſis, aut auri ſpe ſe unquam abduci ſinant, ut edicta Principum eludant, & amarulentis hominibus cauſſam præbeant, operamque præſtent exercendæ acerbitatis.

## CAPUT XVIII.

*Auctor anonymus S. J. cerbeream* Palinodiam *ſub nomine Danielis Concinæ conſcribit, eamque inexpiabili ſcelere illius ſocii quaquaverſum vulgant.*

ETſi ea, quæ P. *Faurio* contigerunt, ad cæteros ejuſdem ſocios ſaniores melioreſque efficiendos ſatis ſuperque valuiſſent, nihil tamen ab iis impetratum eſt, quod ipſos aut timore pœnæ perculſos, aut aliqua in Patrum Romanorum decretum reverentia affectos demonſtraret. Nam furentes plerique eorum proculcarunt denuo Patrum illorum ſententiam, & Concinam acrius, atque inhumanius lacerarunt. Inter iſtos audacia inſigni & ſceleris atrocitate maxime meritoque notatur auctor infamis Palinodiæ, ſub nomine Danielis Concinæ vulgatæ, de qua modo ſcripturus ſum. Ergo PP. Societatis poſt imploratam Deorum hominumque fidem, poſt fatigata tribunalia, poſt denique omnem fere Europam adverſus Concinam excitatam, atque incenſam, quo aliqua & quidem non levis dedecoris nota pio homini inureretur, novo, at non inaudito calumniæ genere, ipſum dejicere pertentarunt, quem innumeris jam antea technis, atque cuniculis proſternere fruſtra cogitarant. Notum eſt, quod D. Hieronymo, Doctori omnium maximo accidit, cui adverſarii ejus peſſima doctrinarum capita affinxerunt. Notiora vero ſunt, quæ Henrico *Noriſio*, Auguſtinianæ doctrinæ vindici præclariſſimo contigerunt (3) quam ut a me indigeant commemorari. Hoc eodem artificio in ſui ſubſidium vocato, PP. nonnulli Societatis teterrimam Palinodiam ſub nomine Danielis Concinæ ediderunt cum diabolica, atque mendaciſſima hac inſcriptione: *Ritrattazione ſolenne di tutte le ingiurie, bugie, falſificazioni, calunnie, contumelie, impoſture, ribalderie ſtampate in varj libri da Fra Da-*



(1) *Pag.* 5. (2 *Præter alios auctor libri inſcripti:* Iudicium cujuſdam viri &c. *de quo infra. Alii autem maximi ponderis apud PP. Congregationis extitiſſe Concinæ epiſtolas teſtantur, ut inter cæteros Card. Philippus* Monti. *Vide Epiſtolam XI. pag.* 20. (3) *Tom. I. Operum ejuſd. Card. edit. Veronenſis A.* MDCCXXIX. Palinodia *ſub ejus nomine edita recenſetur & caſtigatur.*

*niello* Concina, *Domenicano Gavotto contro la Venerabile Compagnia di Gesù, da aggiugnerſi per modo di Appendice alle due infami lettere Teologico-morali contro il R. P.* Benzi *della medeſima Compagnia*. In Venezia MDCCXLIV. appreſſo Simone Occhi ſotto il ſegno d'Italia, con licenza de' Superiori e privilegio. Horribilis ſane libellus, & quo tetrius ne ab ipſis quidem furiis excogitari nil poſſit. Horreſcit animus ad monſtra mendaciorum, ad effrænatam impudentiam, atque indomitum furorem auctoris. Negant ſane peritiores, atque ad maledicendum comparati quidquam ad hanc diem aut contumelioſius, aut impudentius, aut omnino tenebris dignius in lucem prodiiſſe. Vulgi ignaviſſimi judicio religioſum virum, Muſis ſeverioribus deditum, ſibi ipſi manus inferentem ſiſtit Palinodiæ Auctor, & innocuum atque piiſſimum hominem inducit coram viliſſima plebe veniam poſtulantem. Inde poſt ridiculas ſtrophas, & male incruſtatas contumelias atque calumnias tibias inflans grandiores Concinam prorſus barbare ac inhumaniter vivicomburio, aut ſaltem triremibus mulctandum eſſe pronuntiat; atque beſtiam aliiſque nominibus appellare non dubitat. *Beſtia più che beſtia: beſtia in ſuperlativo grado. F. Concina per tante bugie, calunnie, contumelie, e ſcandaloſe impertinenze ha meritato d'eſſere bruciato vivo, o almeno a dir poco, la galera in vita*. O hominis cæcitatem amariori fletu deplorandam! Talem ne Concinam reputabat, atque ſuppliciis cenſebat dignum, quem mortalium optimi, ipſeque Chriſti in terris Vicarius venerati ſunt? Potuiſſet equidem aliquem fabulæ colorem addere, atque maledictorum protervitatem, & mendaciorum licentiam effuſiſſimam aliquo modo contegere, ſed a perfidia deſertus ſua, dum Concinæ mores & dogmata peracerbe omnino, atque inſolenter lacerare conatus eſt, non aliud meruit in ſcriptionis ſuæ laudem audire, quam ea verba D. Hieronymi (1): *voluntatem mentiendi habuit, artem mentiendi non habuit*. Ita ſæpe multorum improbitate depreſſa veritas emergit, & innocentiæ defenſio intercluſa reſpirat, quando ii, quorum eminet audacia, atque projecta eſt, a conſiliis malitiæ deſeruntur. Sane ut primum venire in manus hominum hic libellus cœpit, non illi contigit, quod nulli fere hac quidem noſtra tempeſtate non contingit, ut ſi non omnes, at certe aliquos benignos lectores nanciſceretur. Incredibile eſt enim, quam fuerit ſtatim ab omnibus uno conſenſu, atque una prope voce repudiatus. Omnibus petulantia, contumelia, obſcœnitas, calumnia, intemperantia, denique impietas non ferenda videbatur. Quinimmo plurimos extitiſſe conſtat, qui nonniſi aliquot perlectis periodis, rerum ac verborum inſolentia, atque malignitate commoti non paſſi ſint diutius apud ſe tantam peſtem verſari, atque in ignem continuo nefaſtas chartas conjecerint. Uſque adeo non modo litterati, atque honeſti hominis, ſed ne hominis quidem ſcriptum eſſe illud judicabant. Neque vero ſatis credidit ſe viſum iri maledicum effrons ſcribillator, niſi non modo Danielis Concinæ, verum etiam duobus aliis ejuſdem Dominicanæ Familiæ viris ſane præclariſſimis, Joſepho ſcilicet Auguſtino *Urſio* & Thomæ Mariæ *Mamachio*, ore impuriſſimo malediceret (2). Cur autem hos potiſſimum laceraverit, in eoſque furialiter incurrerit, etſi ab hujuſmodi hominibus, qui impetu, non conſilio in agendo feruntur, ratio factorum non ſit repetenda, arbitror tamen id ipſum rabie percitum feciſſe, eo quod *Urſius* doctiſſimos libros in Ambroſium *Cattaneum*, alioſque mendacii patronos nugaciſſimos ſcripſerit, ut ipſe etiam innuit; *Mamachius* vero, pluribus oblatis occaſionibus de iiſdem benemerendi, Societati ſtudere detrectaverit. Ut vero tot criminibus cumulum adderet, dignumque libello faſtigium imponeret, *Bentii* apologiam homo plane ignarus rerum Theologicarum aggreditur; unde iniquo ſane judicio a ſapientiſſimis atque æquiſſimis in urbe Patribus illum damnatum eſſe lector valeat deducere. Quod crimen atrociſſimum eſt, & Apoſtolicæ Sedi admodum injurioſum. Ego quidem cum primum Palinodiam hanc ad manus habui, eandem cum prolixis enarrationibus denuo vulgare cogitaveram, ut ejus auctorem pro meritis, ac pro viribus caſtigarem: ſed incœpto abſtinui, ubi ea cogitatio animum ſubiiſſet, partem ſcilicet hanc non ſcriptoris, ſed Prætoris eſſe. At ne lector plus æquo me iratum in hunc ſcri-

pto-

(1) *Lib. III. in* Ruf.

(2) *Pag.* 24. & 33.



ptorem putet, Palinodiæ lineamenta adferre neceſſarium fuerit (1). Quinam porro hujuſce auctor habendus ſit, non ita facile eſt pro certo conſtituere. Comes Jo: Maria

*Mazzu-*

(1) *Pag.* 1. *& ſeqq.* F. Concina è comparſo ſul teatro del pubblico tante volte a farvi la parte d'impoſtore, di bugiardo, d'ipocrita, e di ſcellerato calunniatore, che ha cagionato diſonore al ſagroſanto Scapolare, che porta in doſſo, e ſcandalo a tutto il genere umano con una sfacciatiſſima maldicenza. Peccatore indegno di miſericordia, che illuminato finalmente a conoſcere la gravezza da' peccati commeſſi colle ſtampe, per puro motivo di renderſi capace d'aſſoluzione ſi è ritratto, acciò ognuno anche ſapeſſe che non è morto impenitente. Ma finalmente ſi è ravveduto per cancellare le ſiniſtre impreſſioni che forſe han fatto nell'animo degl'incauti le ſue impoſture. Che ha ſcritto contro la Compagnia per pura malignità, e per un aſtio antico, che ha nudrito verſo di lei per invidia del buon concetto e ſtima, e finalmente per ambizione d'acquiſtar nome. Uomo di baſſa naſcita, di poco ſapere, e di cattiva opinione tra' Frati: che non ha diſperato di uſcire da' ſuoi ſtracci, come ha fatto un altro Frate, di cui Concina è egualmente ignorante, ma aſſai più temerario ed animoſo. Debole di cervello. Che ha procurato di ſedurre le gente ſemplice, ed ha inſerito nella Storia del *Probabiliſmo* bugie non prima inteſe, contumelie inudite, e falſificazioni d'invenzione affatto nuova con dottrine aſſai ſcarſe, e tolte di peſo da altri, e malamente infilzate; e che però ebbe cattivo incontro preſſo tutte le oneſte perſone ed intendenti. Niuno avrebbe potuto approvare tante e sì manifeſte mutilazioni, alterazioni ne' teſti, e tante falſità ne' racconti. Tutti ſi ſtomacarono di sì continua maldicenza, e sì sfrontata; mentre eſſo andava trattenendo la ſua baggianerìa. Che aſpettava di eſſere ſtrapazzato de' Geſuiti, ma che non gli era riuſcito d'inquietarli; mentre diſdegnavano di batterſi con fra Concina. Quindi vedendo che non uſcivano dal ſuo primo contegno, fu quaſi per impiccarſi di rabbia. Fece poi l'ultimo tentativo contro il P. *Benzi*, e ſcriſſegli contro due ſanguinoſe declamazioni a modo di lettere, e calcò sì ſpietatamente la mano non ſolo contro di lui, ma contro la ſua riſpettabile Religione che peggio non avrebbe ſaputo fare, ſe aveſſe ſcritto contro una ſetta di eretici dichiarati. Finalmente ha riconoſciuto la ſua pazzia, e dalla loro modeſtia ha preſo nuovo ardire di replicare le offeſe. Nello ſcriver libri ha avuto niun principio di oneſtà, e molto memo alcun zelo dell'onor di Dio; avendo mormorato per zelo, e infamato per eſſo. Incapace di zelo dell'onor di Dio, e biſognoſo di emendar la vita. Uomo ſenza coſcienza che odia il ſuo proſſimo; e briccone che ha ſcritto con tutta quella impertinenza, di cui è capace un frataccio malnato e malcreato come lui. Pieno di groſſolane malizie dettate dallo ſpirito di malevolenza, e di furore; l'eſſere ſcoſtumato, ignorante e temerario ſono i ſuoi caratteri. Uomo per tanti titoli infame, e che deve ſoddisfare alla ſua coſcienza per accoſtarſi a' Sacramenti ſenza rimorſo. Aſino che ſi è ſcagliato contro un innocente ſcrittore P. *Benzi* con tutti quelli improperj che poſſono addattarſi ad un maeſtro di empietà e di ereſie, e che ſi è ingegnato di metterlo in ridicolo con una grazia da far lubricare all'iſtante qualunque corpo più ſtitico; degno perciò che ſe gli sbatta una ventreſca ſul muſo per carità. Con gran malvagità ha bruttamente calunniato un tal ſoggeto con farlo autore di ſcelleragini non mai da lui figurate, e all'uſo de' ſciocchi ha preſo in impreſtito da *Paſcale*, e da altri moderni eretici fraſi aſſai vecchie per infamare e diſtruggere la Compagnia di Gesù. Frate pidocchioſo, buono ſolamente a mentire arditamente, a impoſturare il mondo, e di notoria malvagità, e di ammirabile preſunzione. Ipocrita che ha inſegnato la ſtrada più ſtretta, ed eſſo è andato per la larga. Tutti convengono che la dottrina de'Geſuitri è la più ſtretta. Ha dato un gran ſaggio di enorme malizia, e di inſigne ignoranza, e di ſuperbia; ed ha proccurato di comparire uomo timorato di Dio, e la ſua paſſione è ſtata di far la figura di dotto, che lo ha fatto prevaricare. Frate d'ignoranza palpabile, teſta di citriolo incapace di conoſcere i ſuoi ſpropoſiti enormiſſimi, anche di lingua latina, cui non ha mai ſtudiato: ha moſtrato di capir poco in Teologia, anzi di eſſer privo del ſenſo comune. Beſtia più che beſtia, e beſtia in ſuperlativo grado, che adduce autorità, che calzano come la ſella

al por-

*Mazzuchellus* ſamam per ea tempora exiiſſe memorat (1) quæ infamem ſcriptionem PP. Julio *Cordaræ*, vel *Torniello*, ac denique Franciſco Ant. *Zaccharīæ* adjudicaret. Homines quidem ſunt cuncti ex Societate, atque ad exercendum maledicentiæ dentem naturæ acerbitate paratiſſimi. Alii & fortaſſe verius illius auctorem faciunt P. *Cocconatium*, pariter Jeſuitam, qui Venetiis degens aliis libellis in Concinam evulgatis operam & favorem præſtitit. At quiſquis tandem fuerit infamis auctor libelli, Legi Corneliæ illuſerit, & latuerit mortales judices; ultorem certe latere non poteſt Deum. Quod ſi Dei ſingulari miſericordia atque clementia inter vivos adhuc degit auctor infelix, audiat & videat, ſi tamen phreneticus, ac plane cæcus quidquam intelligere aut videre poteſt, quid præſtare neceſſario debeat, ut tam atrocis ſceleris a ſupremo Numine miſericordiam ac veniam aſſequatur: *Neceſſe eſt, præter ſinceram facti ſui coram Deo pœnitentiam, ea, quæ in honeſtum virum, Deo ſacrum, crimina contulit, revocare eum, contrariiſque ſcriptis mendacia ſua, ac maledica ſcripta refellere, ac refutare, & ſe falſum dixiſſe, atque adeo eſſe mentitum, jurejurando etiam ſi opus fuerit conteſtari: ita ut apud eos, ad quorum aures conflata ab ipſo calumnia pervenit (quæ ſemper niſi revocetur, extrahit veluti quoddam falſorum criminum teſtimonium) omnis dictorum ſcriptorumque fides quantum in ipſo eſt, abrogetur, nulla habita propriæ famæ ratione: quum juſtitia poſtulet, ut alteri reſtituatur quidquid ablatum per infamiam fuerit. Ex violatione quippe juſtitiæ reſtitutionis conſequitur obligatio. Quamobrem ad canendam palinodiam divinis & humanis legibus, quibus eum relaxari nefas, adſtringitur. Atque hoc illi remedium utpote neceſſarium, ſi quidem ſalvus eſſe vult, omnino adhibendum eſt. Sibi autem ſuoque ſceleri adceptum referat, ſi pari, vel majori etiam cum ſuæ famæ detrimento, aliorum ab ſe violatæ exiſtimationi adigitur conſulere. Sciens enim ac volens hoc certe grave ſibi onus impoſuit* (2). Hæc eſt obligatio, qua ſceleſti libelli auctor ob-

al porco; e che dimoſtrano una prodigioſa ſomaraggine. Ignorante preſuntuoſo. Sciocco uomo, che voluto far da Teologo non eſſendo che un miſero dozzinale predicatore, di cui l'erubeſcenza non è il ſuo debole, e di cui ſi deve dire che ſia un miſto di ſemplicità, e di malizia, di temerità ed ignoranza, onde compariſce a ſe ſteſſo non ſa ſe ridicolo o degno di compaſſione. Uomo baldanzoſo, predeterminato ad inſegnare contro coſcienza ciò che non è mai ſtato inſegnato da altri, e con tutta la frateſca temerità ſi è applicato al deſperato partito di infamare, e condannare tutti i ſcrittori della Compagnia. Gran progetto da non venir in mente che ad un pazzo! Che ha parlato con un linguaggio ſolito a ſentirſi nelle bocche de' Gianſeniſti. Se non che più temerario di loro, e meno aſſai giudizioſo nel calunniare preteſe di mettere in diſcredito la Morale de' Geſuiti, ciò che niuno degli eretici più arrabbiati nemici di loro avea giammai tentato. Reo di peccato eſecrando e manifeſto; e capace di nere ed evidenti calunnie, e ne' cui ſcritti trionfa l' iniquità, l'ignoranza, la temerità, che ſono gli attributi ſuoi proprj. Frataccio impertinente. Papagallo, ſciocco, di perverſo genio, turbolento, e buffoneſco, che zela per la riforma come *Lutero*. Fra Concina per tante bugie finalmente, calunnie, e contumelie, e ſcandaloſe impertinenze ha meritato d' eſſere bruciato vivo, o almeno, a dir poco, la galera in vita. Non v' è improperio che non meriti, non vi è eſpreſſione sì forte e ricercata che poſſa uguagliare la grandezza della ſua ſcelleragine. Fraticello miſerabile, e indegno di nominare la Compagnia di Gesù ec. *Quid aliud expectes a furioſo?*

(1) Scrittori d' Italia *Art.* Benzi *P. Bernardino*.

(2) *Controverſiam definivit conceptis verbis P. Hieronymus* Lagomarſinius *S. J. Ut vero res intelligatur animadvertendum eſt A.* MDCCXXVII. *larvatum Societatis ſcriptorem in vulgus edidiſſe* Sermones IV. de tota Græculorum hujus ætatis litteratura *ſub nomine* L. Sectani Q. Filii *cum enarrationibus* M. Philocardii, *in quibus aliquot virorum, ac præſertim Florentinorum mores atque doctrina perſtringebantur, & eorum plerique inter aſinos collocabantur, veluti* Salvinius *ac* Lazzarinius. *Adverſus hunc fictum* Sectanum, *quem eſſe* Lagomarſinium *eruditi cenſent, ejuſque commentatorem vel Pompeum* Venturium, *vel Julium* Cordaram *Jeſuitas, famoſus libellus, cui titulus:* i Pifferi di Montagna, *vulgatus eſt, ejuſque auctor acriter Jeſuitas momordit ac re-pre-*



obſtringitur; una cum iis omnibus PP. Societatis, qui illum quaquaverſum divulgarunt. Nulla enim non dicam Italiæ, ſed & aliarum diſſitarum regionum urbs fuit, ad quam ille non pervenerit. Romæ, Venetiis, & Lucæ præcipue, xxx. ſolidorum ſtatuto pretio, ab iis vendebatur. Cumque putidis mendaciis nullam haberi fidem vidiſſent, hoc alterum, ceu dignum patella operculum, miſſis ſyngraphis, adjunxerunt: *La Ritrattazione è ſcritta con una penna un pò ſtemprata: abbonda di qualche frizzo, o di qualche ſale; per altro è un capo d' opera*. Proh iniqui ac maligni laudatores! ecquiſnam niſi malus & inſanus *Opus magnum* appellare poteſt fætidum cadaver, rabiem undique, ac venenum ſpirans, & vel ipſas fame preſſas corniculas ſuffocans atque procul ejiciens? At ceſſit quidem hominibus illis res ex ſententia, quum ea ætate quamplurimos lacerent, in qua pœnæ abrogatæ videntur, quæ ab utroque jure, Pontificio nimirum ac Cæſareo, adverſus libellorum famoſorum auctores, atque divulgatores ſancitæ ſunt (1). Quod etſi ferri in aliis aliquo modo poſſit, in religioſis tamen hominibus, qui cæteris caritatem & dilectionem proſequendo, exemplo præire debent, res non ferenda videtur. Ne quid tamen ſilentio obvolvere videamur, quod infamiam minuere, a Palinodiæ auctore ſanctiſſimæ Societati Jeſu inlatam poſſit, placet adjicere tam præpoſteri facinoris conſcium factum ſupremum Præſidem Societatis vehementer indoluiſſe, damno ingenti perpenſo, quod Societati deſperati quidam inferebant. Ingemuiſſe etiam quamplures ſanctiſſimos hujuſce Cœtus viros memoriæ proditum eſt. Ex quibus multi ſperabant brevi cinicæ ſcriptionis auctorem pœnas daturum. At fruſtra. Nuſquam enim iſte, quod tamen erat ipſis facillimum, reperiri potuit. Impunes etiam evaſerunt ii omnes utique notiſſimi, qui non modo eam Palinodiam ubique ſparſerunt, ſed etiam denuo imprimendam curarunt, ut infra obſervabimus. At vero Concinæ famæ conſultum volens *Benedictus XIV.* Palinodiam illam ſolemni decreto configi juſſit, die XVII. Junii ejuſdem A. MDCCXLIV. (2). Multi inde auctores Concinæ erant, ut ſe omni ope tueretur: accuſatorum calumnias & improbitatem, præſertim ſuæ exiſtimationis ac famæ periculo, redargueret. Sane omnes, qui intimius Concinam non noverant, eum jure gentium uſurum, ſeque a tanto diſcrimine acerrime vindicaturum putabant. Rei, de qua Concina cogitaverat nunquam, fidem conciliare aliquam

*prehendit.* Lagomarſinius *V. ſermonem ſub nomine pariter* Lucii Sectani *emiſit, in quo poſtquam etruſci poematii auctorem omni conviciorum genere proſcidiſſet, caſum tandem conſcientiæ, ut vocant, protulit ab Univerſitate quadam ſolutum, ac definitum, in quo eum ad publicam canendam palinodiam teneri, pluribus allatis rationibus, atque argumentis, demonſtratur. Ex his ea nos legimus, ex pag. 34. n. IV. quæ ad rem noſtram facere, & quidem recte, videbantur. Poterit hinc lector perpendere, atque ſecum ipſe conſiderare, quantum potiori jure ad canendam palinodiam obſtringatur auctor infamis in Concinam ſcriptionis. Ut Sermonis V. L.* Sectani *indignitatem quivis habeat perſpectam, Jo:* Lamii *adeat* Menippeam I., *ſub nomine* M. Thymoleontis *Londini editam A.* MDCCXXXVII. Adverſus improbos litterarum, bonarumque artium oſores.

(1) *A Canonico jure excommunicatione majori C.* qui alterius §. 9. 11. *a Civili autem capitali ſententia* L. Un C. de famoſis Libellis *ejuſmodi crimen vindicatur*.

(2) Feria 4. die 17. Junii 1744. Sacra Congregatio Eminentiſs. & Reverendiſs. DD. S. R. E. Cardinalium in tota Republica Chriſtiana contra Hæreticam pravitatem Generalium Inquiſitorum habita in Conventu S. Mariæ ſupra Minervam, de mandato Sanctiſſimi D. N. *Benedicti* Papæ XIV. præſenti decreto prohibet & damnat uti *libellum famoſum*, nonnulla folia impreſſa, quorum titulus: *Ritrattazione ec.* Hæc itaque folia ſic prohibita, & damnata Sac. eadem Congregatio de mandato, ut ſupra, vetat, ne quis, cujuſcumque ſit ſtatus & conditionis, audeat ullo modo & ſub quocumque prætextu imprimere, vel imprimi facere, neque impreſſa apud ſe retinere, & legere valeat; ſed ipſa Ordinariis locorum, aut hereticæ pravitatis Inquiſitoribus ſtatim, & cum effectu tradere, & conſignare teneatur ſub pœnis in indice librorum prohibitorum contentis. *Paullus Ant. Capellonus S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Notarius.*

Die 27. Junii 1744. ſupradictum Decretum affixum & publicatum fuit ad Valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Palatii S. Officii, & aliis ſolitis locis &c.

quam videbatur quædam inſcriptio typis Romæ, atque Venetiis evulgata hiſce expreſſa verbis: *Ritrattazione ec. Operetta curioſa che può ſervire di ſupplemento alla morale pratica de' Geſuiti.* Cum vero in timore multa fingantur impunius, omnia credantur facilius, ſi malæ ac fœdatæ conſcientiæ præcipue ratio aliqua habeatur, eo factum, ut inſcriptio temere vulgata Jeſuitas mirum in modum perterrefecerit. Verſante ſimul hinc eorum animum ira metuque Pontificem exorarunt, ut Concinam, quem id moliri falſo cogitabant, a propoſito removeret. Pontifex, proſcripta Palinodia, ſatis Concinæ nomini conſultum arbitratus, mandavit *Carracciolo*, Sedis Apoſtolicæ ad Venetam Rempublicam Nuncio, ut ſuo nomine Concinæ quamlibet adverſus Palinodiam interdiceret reſponſionem, addens: *& ſolemni decreto ſatis ejus famæ eſſe conſultum, & non eſſe cur tot injuris ſollicitus ſit, eas enim cunctas in ſe ſuſcipere.* Tranquillo lætoque animo auditis ſanctiſſimi Hierarchæ juſſionibus, epiſtolam illico ad ipſum dedit, cujus fere hæc erat ſumma: *ſe videlicet nunquam de reſponſione famoſo libello facienda, multoque minus eo ſub titulo cogitaſſe: ſibi quidem proprii nominis rationem, quamvis ea quidem negligenda haud ſit, nimus antiquam eſſe, at nimis infelicem atque miſerum ſe judicaturum, ſi eas nondum Chriſtiana patientia injurias perferre didiciſſet, quæ ſui perſonam unice ſpectabant. Quod vero ipſe Pontifex illata probra in ſe velit ſuſcipere, id ſummæ ipſius dignationi, qua ſe indignum agnoſcit, totum adſcribere. Quod ſi,* concludebat, *nullum aliud mihi obverſaretur ante oculos Evangelicæ humilitatis exemplum, hoc ſolum tanti Pontificis mihi animum abunde faceret ad quaslibet injurias conſtantiſſime tolerandas.* Hac Concinæ epiſtola ſummopere gaviſus Pontifex, data ad ipſum pariter epiſtola: *animi ejus moderationem rarum humilitatis & obedientiæ exemplum* appellare non dubitavit; atque gratias quam maximas Deo agendas dixit, quem tot egregiorum animi ſenſuum, quibus Concinæ affluebat epiſtola, noverat auctorem (1). Jeſuitæ ſecuri hoc modo Concinam in ſui defenſionem nihil ſcripturum, proculcato utroque decreto, damnatiſſimam Palinodiam rurſus prælo ſubjecerunt, & quod abjectiſſimi & viliſſimi animi eſt, hominis famam diſſipare perrexerunt, cujus manus tot præceptis devinciverant. Palinodiam illam vulgavit ubique P. *Fanuccius*, Jeſuitarum audaciſſimus; alii vero ex eadem Societate ſcriptores *Bentii* apologiam proſecuti confidentiſſime ſunt, ut libelli demonſtrant, quos modo recenſebo.

## CAPUT XIX.

*De cæteris libellis a PP.* Turani, Curti, Poli, *aliiſque Soc. J. in* Bentii *defenſionem vulgatis.*

ANno a Palinodiæ editione inſequenti P. Dominicus Maria *Turanius* opuſculum edidit Venetiis furtivis typis, cujus hic eſt titulus: *Judicium cujuſdam Viri Theologiæ Prof. ad amicum Confeſſorem Monialium.* Contra auctoris voluntatem *judicium* hoc lucem vidiſſe, *Sanvitalis*, *Zaccharia* aliique ſcripſere. At *Turanius*, quem ingemuiſſe etiam ſocii ejus dicunt, nullum doloris præbuit argumentum, unde ipſi, aliiſque haberetur fides. At vero utcumque acciderit res, illud minime incertum, Jeſuitas, cum hoc *judicium* ſecundas aures nanciſci vidiſſent, iterum Lucæ commiſiſſe prælo, tribus aliis adjectis ea de re opuſculis, quæ, enormi vocabulorum abuſu, editor hoc titulo inſignivit: *R. P. Danieli* Concinæ *duarum epiſtolarum Theologico-moralium auctori opuſcula hæc quatuor vere aurea Euſebius* Philalethes *D. D. D.* Horum omnium opuſculorum ſpecimina præbet *Patuzzius* in *Epiſtola ad amicum* (2), poſt quem nos etiam de iiſdem breviter nonnulla dicemus; neque enim licuit ad manus habere cunctas haſce damnatiſſimas ſcriptiones. *Turanius* itaque, ut *Bentii* adſertum a cenſura vindicet, ita ſacris novi Inſtrumenti litteris, ſacramentis, liturgiis, ſanctorumque virorum exemplis abutitur, ut vere eundem Batavus Ephemeridographus *cinicum Theologum* appellaverit. *Bentio* deinde nonnihil iraſcitur (3) quod barbaro vocabulo *ſubimpudicus* uſus ſit, prætermiſſis vocibus *Latinorum boni ævi*, id eſt *ſubobſcænus*, *ſubturpis &c.* Quapropter inquit (4): *barbaries reprehendi poterit: ſenſus vero a nullo cordato viro & ſerio homine reprehendi poterit.* Denique poſt aliquarum rerum examen *nihil novi*, vel *abſurdi* in *Bentii* diſſertatione contineri cenſet (5) ſi illa ſtyli excipiatur inelegantia. Quare ad judices ſtudio partium vacuos ſe convertens concludit (1): *videant nunc æqui judices, an miſer hic ſcriptor* (Bentius) *ob iſtud quæſitum meruerit contra ſe excitare tantum & tam publicum incendium.* Pauca nunc de tribus aliis ejuſdem furfuris libellis. Primum epiſtola quædam eſt ad Epiſcopum quendam, qui cauſam turbarum ſciſcitatum fuiſſe confingitur, quæ ex Concinæ epiſtolis exortæ ſunt. Secundum animadverſiones quaſdam complectitur ſuper actis apotheoſis Ven. Servi Dei Simeonis *de Rozas*, qui infirmos curaturus *mulierum mammillas* aliquando tetigerat. In tertio denique quærit auctor: *an aliquid novi vel abſurdi reperiatur in quadam particula diſſertationis P.* Bentii? Cujus poſt diligens examen ita reſpondet (2): *nec novi aliquid, nec abſurdi continet, niſi forte contra grammaticam; vocabulum quippe* ſubimpudicus *non invenitur apud boni ævi ſcriptores latinos. Quapropter in P.* Benzi *ſupponente dari in mundo actus ſubimpudicos, reprehendi quidem poterit barbaries vocabuli, non vero ſenſus & doctrina.* Atque hi omnes ſcriptores licet conſilia tegere conati ſint, revera tamen ipſis erat propoſitum *Bentii* doctrinam tutari, & inique omnino eam fuiſſe Romæ notatam oſtendere. Qua vindiciarum ratione Romanos judices non tantum rerum Theologicarum inſcitia laboraſſe, dum *Bentium* damnarunt, ſed & vim vocabuli *ſubobſcænus* ignoraſſe, atque adeo contra leges Grammaticorum peccaſſe, præclare ſomniarunt. Credet autem fortaſſe quiſpiam iſtos Ariſtarchos ſtyli barbariem in *Bentio* reprehendentes, ſuas illas paginas, innumeris certe fœdiſque erroribus conſtupratas, *Terentii* & *Plauti* ſalibus condiiſſe, ac Tullianæ eloquentiæ floſculis exornaſſe. Atqui fragmenta quæ adtulimus, ſatis ſuperque ſuadent: eos uſos eſſe ſtylo Gothica barbarie infuſcato, ac merito omnino iſtos *aureorum Opuſculorum* auctores inter deteriores ferreæ ætatis ſcriptores fore numerandos. Horum omnium quos hactenus nominavimus, *Bentii* apologiſtarum audaciam vicit P. Joſeph *Poli*, Jeſuita Bergomenſis. Hic, quod nemo antea ex inſtituto fuerat auſus, probare aggreſſus eſt eandem *Bentii* doctrinam a D. *Thoma* Aquinate fuiſſe propugnatam, atque clariſſime traditam. En libelli clanculum editi præclara inſcriptio: *Dottrina di S. Tommaſo propoſta alla conſiderazione dei ſaggi, e ſinceri amatori della verità, acciocchè poſſano formare un retto giudizio ſopra la prima lettera ſcritta dal P. Daniele* Concina *contro il P. Bernardino* Benzi, *autore ſopra i Caſi riſervati nel veneto Patriarcato:* Hæc dicit Dominus: facite judicium & juſtitiam, & liberate vi oppreſſum de manu calumniatoris. *Jeremiæ cap.* 22. Inter cætera paradoxa, illud nec parvum nec leve eſt, quo turpiſſime comminiſcitur, non aliud inter D. Thomæ ac *Bentii* doctrinam diſcrimen intercedere, niſi quod *Bentius* ſeverius ac rigidius præ D. Thoma Aquinate opinatus ſit; damnando videlicet, ut veniales noxas actus illos, *vellicaregenas*, & *mammillas tangere monialium*, quos S. Doctor ut actiones mere indifferentes habuerit, ex quibus *Bentium* rigoriſtam potius, quam benignæ doctrinæ adſertorem habendum eſſe concludit (3). Ultimo denique opuſculi in *Bentii* apologiam editi auctor eſt P. Franciſcus *Curti*, qui primam Concinæ epiſtolam quingentis & ſeptem annotationibus italicis defœdatam vulgavit cum hac epigraphe: *Epiſtola prima Theologico-moralis ad Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum N. N. adverſus librum inſcriptum* Diſſertatio &c. *Edizione quarta, corretta ed accreſciuta con alcune annotazioni.* Annotationes iſtæ fatuis nigriſque ſalibus ſunt refertiſſimæ: quos tamen ceu Juvenalis ſales, & Horatianas argutias propinare credidit illepidus jocator. Convicia & probra non deſunt, queis non tantum Concina, quam Ordo Prædicatorum diſcerpitur. At quod magis mirere, *Moniti* auctor teſtatur annotationes italicas ſolatii cauſſa fuiſſe conſcriptas ac poſtmodum editas, quum ad cujuſdam equitis manus perveniſſent. Ita benignioris doctrinæ vindices recreandi animi ergo facillime Apoſtolicæ Sedis decreta proculcant, & proborum conterunt nomen, non utique ſine ſcandalo atque admiratione hominum hæreticorum.

(1) *Epiſt. XII.* (2) *Extat ad calcem Tomi II.* Epiſtolarum Theologico-Moralium. (3) §. *IV.* (4) *Pag.* 12. (5) *Pag.* 15.



(1) *Pag.* 18. (2) *Pag.* 44. (3) *Pag.* 23.

## CAPUT XX.

*Bernardini* Bentii *Apologiſtis reſpondet P. Jo: Vincentius* Patuzzius *O. P. Recenſetur etiam Opus hactenus ineditum Caroli Ant.* Donadonis, *Epiſcopi Sebenicenſis, adverſus eandem P.* Bentii *doctrinam.*

RECenſitis hactenus Libellis nemo unus reſpondere cogitaſſet, niſi *Polius* putidam doctrinam D. *Thomæ* Aquinati impudentiſſime tribuiſſet. Suadebat ſilentium cum ipſa levitas opuſculorum, tum Romanorum PP. decretum, quo quæcumque ſcriptiones ſive jam editæ, ſive edendæ in *Bentii* defenſionem damnabantur. *Polii* tamen in Angelicum Doctorem irreverentia multis ſtimulos addidit ad tam enormem calumniam diſpungendam. Quoniam igitur Concina, tum elucubrationibus de *fænore* componendis intentus, in id operam locare non poterat ſuam, hoc idem perfecit P. Joannes Vincentius *Patuzzius*, non tam multorum adhortationibus, quam ſui præcipue in Doctorem Angelicum religione excitatus. Apologetico in hoc Opere *Polium* cæteroſque tam nervoſe, ac ſolide exagitavit, tamque præclare Angelici Doctoris vindicias egit, ut Theologis hominibus ne dubitationis quidem umbram reliquiſſe viſus ſit. Eximia hæc lucubratio a *Patuzzio* conſcripta Anno MDCCLV. propter nonnulla, quæ interceſſere, nonniſi Anno MDCCLVI. Lucæ prodiit typis Philippi Mariæ Benedini hoc titulo inſignita: *Difeſa della dottrina dell' Angelico Dottor S. Tommaſo ſopra l' Articolo quarto della queſtione* 154. 2. 2. Quoniam vero in hujus clariſſimi viri mentionem ſæpe numero incurram, hic me locus admonere videtur, ut quæ mihi de ejus virtutibus, ac editis libris cognita ſunt, ſilentio minime prætereram. Hic Veronæ, ſummorum hominum altricis, natus primo hujuſce ſæculi anno, ætatis ſuæ XVII. Ordinis Præd. Inſtitutum amplexus eſt. Humanarum, divinarumque rerum profeſſor adlectus rivulos doctrinarum, quibus pro eleganti ingenio pectus compleverat, viginti & amplius annos uberrime effudit. Quo tempore jugi contentione dogmata Eccleſiæ Catholicæ adverſus heterodoxorum hominum deliramenta defendere nunquam deſtitit, & caſtiorem ethicen a Caſuiſtarum commentis adſerere. Plures edidit libros omni doctrina refertiſſimos, queis clariſſimum nomen & famam indeptus eſt, ut non ſemel proinde Viris Principibus ad publica Gymnaſia invitatus ſit. Nemo vel leviter eruditus Operis celebritatem ignorat, quod *De futuro impiorum ſtatu* inſcriptum eſt, in quo adverſus Deiſtas, nuperos Origeniſtas, Socinianos, alioſque Novatores Eccleſiæ Catholicæ doctrinam de pœnarum inferni veritate, qualitate, atque æternitate adſeruit atque illuſtravit. Quod tanto fuit exceptum plauſu Eruditorum, ut ab iis etiam laudes extorſerit, qui Dominicanæ Familiæ ſcriptores ſæpiſſime reprehendunt, perraro laudant. Ea eſt egregiorum Operum vis atque ſpecies. Ad hujus deinde argumenti abſolutam tractationem celeberrimam diſſertationem conſcripſit, Henrichetto Virginio *Natta*, Albæ Pompejæ Epiſcopo, ac S. R. E. Card. præclariſſimo inſcriptam *De ſede inferni in Terris quærenda* adverſus *Svvindium* Doctorem Anglum, qui eam in ſole eſſe locandam docuerat. Qua occaſione etiam ſenſum Eccleſiæ Catholicæ de articulo Symboli Apoſtolici *Deſcendit ad Inferos* a *Bocharti*, *Crameri*, aliorumque interpretationibus vindicavit. Sed non eſt cur ſingulas viri doctiſſimi elucubrationes ipſe percenſeam, quæ omnium teruntur manibus Eruditorum. Eminent tamen inter iſtas *Epiſtolæ Theologico-morales*, quarum alibi ſermo recurret, atque altera *De Regula proximæ humanarum actionum* lucubratio, in qua tanta ingenii vi & claritate, ſententiarum firmitate, & pondere monumentorum Probabiliſtarum argumenta, argutias, & machinas deſtruxit, ut in eos nemine fortius, ac felicius pugnaſſe ſine ira & odio judicantibus videatur. Accipiat porro ſummus Vir leve hoc de ejus meritis pro re nata teſtimonium, nec obſcuri ac plane ignoti hominis officium deprecari velit. Quamquam porro *Patuzzii* Opus adverſus Theologos Mammillariſtas cauſſam horum ita jugulaverit, ut aliis ſcriptionibus opus haud ſit, ad pleniorem tamen Bentianæ diſſertationis hiſtoriam hoc etiam loci non videtur mentio, ac laus prætereunda Caroli Antonii *Donadonis*, ex Ordine Franciſcano Minorum Conventualium Epiſcopi Sebenicenſis aſſumpti. Hic zelo religionis, & Danielis Concinæ ſtudio accenſus, librum conſcripſit adverſus P. *Bentium*, qui tamen lucem adhuc expectat, ut alia plura ejuſdem Præſulis, nonis Januarii A. MDCCLVI. humanis rebus exemti. Opus ab ſe confectum teſtamento, quod ſcripſit 15. Januarii A. MDCCLI., cavit, atque præcepit Carolo Felici nepoti ſuo, ut ad Conci-





næ, vel ad ejus fratris Nicolai manus perferendum curaret; quemadmodum patet ex ejuſdem Teſtamenti particula, quam a publico Scriba excerptam heic edere neceſſarium fuerit (1); ne ineditos libros, ut plurimi ſolent, jactare videamur, quorum auctores fortaſſe nonniſi titulos reliquerunt. Hoc Epiſcopi Sebenicenſis adverſus *Bentium* Opus in ejuſdem præſulis elogio prætermiſit P. Franciſcus Ant. *Zaccharias* (2); qui contra memorat alias elucubrationes tum editas, tum mss.; atque inter iſtas, inquit, *è la ſeguente così terribile contra* la Regolata divozione *del* Muratori, *che il ſignor* Propoſto Soli *nella vita di ſuo Zio ſi contentò di accennarla ſenza traſcriverne il troppo odioſo titolo.* Operis epigraphen inde quamvis ſatis prolixam adfert, & geſtiens lætuſque integram recitat. Dubitare quiſpiam poſſit ſcriptorem hunc, qui Litteratorum Italiæ arcanorum ſe conſcium apprime jactat, Epiſcopi Sebenicenſis Opus adverſus *Bentium* habuiſſe quidem perſpectum, ſed callide occultaſſe ſecundum eam methodum nempe, qua ſcriptiones adverſus ſuos, quantum poteſt, ſilentio involvit. Sed quavis de cauſſa demum acciderit res, nobis ſaltem iraſci non poterit, quod integram libri adverſus *Bentium* inſcriptionem retulerimus, ſi non majori, at certe illi æquali, quam ipſe adverſus magnum *Muratorium* profert, acerbitate exaratam. Atque hæc quidem cunctæ ſcriptiones ſunt, quæ a *Bentii* apologiſtis, ejuſque oppugnatoribus conſcriptæ ſunt. Nunc facti narrationem exſequar, quod erit odii ac furoris PP. Soc. in Concinam, ejuſque Concellitas documentum ad memoriam poſteritatis inſigne.

## CAPUT XXI.

*Nonnulli PP. S. J., atque inter alios Franciſcus Ant.* Zaccharia, *PP. Ord. Præd. SS. Roſarii Venetiarum Sapientiſſimi Senatus indignationi objicere, & populum ad nefariam in eoſdem ſeditionem armare, exquiſita calumnia ſtudent.*

TEterrima illa ſcriptionum omnium ficta Palinodia, omneſque libelli injuriarum pleni, queis Concinam omni exiſtimatione dejicere pertentarunt Jeſuitæ, cum non ſatis ſuo in religioſum virum explendo furori viderentur, ingenti, atque atroci machinatione celeberrimam B. *Jacobi Salomonii* Congregationem, cujus Concina alumnus erat præclariſſimus, Veneti Principis indignationi objicere ac proſternere cogitarunt, iis artibus atque conatibus, queis ipſos uſos eſſe recens Gallicanæ Eccleſiæ Hiſtoria narrat. Conjurationis totius, ac ſævæ procellæ cauſſa atque initia hæc fuere. Obſervatum a nobis eſt ſupra, Venetum Patriarcham, fœdam *Bentii* doctrinam ſtomachatum, a ſacris audiendis confeſſionibus eundem removiſſe. Jeſuitæ hac re magis ac ma-



(1) *Li ſeguenti particolari ſi leggono nell' ultimo Teſtamento del q. Illuſtriſſimo, e Reverendiſſimo Monſig. Fra Carlo Antonio* Donadoni, *fu Veſcovo di Sebenico de' dì* 15. *Gennajo* 1751., *preſentato in cedola nelle mani di me Nodaro, e Vice-Cancelliere infraſcritto li ſette Agoſto* 1754. *in un piego & ſigillato, il quale Teſtamento aperto, & pubblicato li ſette Gennajo* 1756.

*Omiſſis &c.*

Et quando non mi fortiſſe di ſtampare il voluminoſo, e faticoſo manoſcritto di vicino a trenta quinterni di carta, ligato in carta pecora, e conſervato in una caſſetta fatta a poſta, che porta il titolo: *Il Parlatorio delle Monache chiuſo in faccia alla inſolente, e ſcandaloſa nuova dottrina di ſua Riverenza Bernardino* Benzi *Geſuita, e vendicato dalle impoſture tentate contro il P. Daniello* Concina *dell' Ordine de' Predicatori;* prego il mio Erede, o Commiſſario d' inviarlo colli altri ſopraſcritti al Sig. Carlo Felice mio Nipote, affinchè queſto ſolo però lo faccia conſegnare al P. Danielle *Concina*; perchè per lui è ſtato da me lavorato, e poſſo ſcrivere poco men che ordinato, onde ne faccia uſo, e rilevi l'attenta parzialità che ho avuto di unirmi a lui, e ſervirlo. Et quando non ſi ritrovaſſe in Venezia, lo faccia conſegnare al Padre *Concina* ſuo fratello, che fu Metafiſico pubblico in Padova, Domenicano anch' egli.

*Omiſſis &c.*

*Primo Semonich N. P. e V. Cancelliere al Civile di Sebenico Loco* ✠ *Sigill. ha fatto eſtrarre dalle proprie note, incontrato, ſottoſcritto, e ſegnato.*

(2) Annali Letterarj d' Italia *Lib. III. Cap. III. §. I. pag.* 216. *& ſeq.*

gis exacerbati, poſteaquam *Bentius* Patavio, quo migraverat, Venetias rediiſſet, curandum omnino exiſtimarunt, ut priſtino obeundo muneri reſtitueretur. Ut vero facilius voti compotes fierent, PP. Joannem Bernardum Mariam *De Rubeis*, & Danielem Concinam ſecretis epiſtolis hortati ſunt, atque obſecrarunt etiam, ut ad id operam impenderent ſuam; eorum enim alter apud Venetum Patriarcham valebat gratia plurimum, alter vero tum Romæ degens multum poſſe eorum judicio putabatur. Preces autem non ſatis roboris habituras ad rei aſſecutionem arbitrati, minas quoque expreſſerunt, admonentes illos: grande infortunium *Grave diſgrazia* ipſis totique Congregationi, cujus erant filii, imminere, ſi rem obire vel recuſaſſent, vel ſegniter egiſſent: jam tum enim moliebantur Venetum Senatum adverſus Dominicanos Patres commovere, atque teterrima calumnia in Chriſtos Domini populum ad nefariam ſeditionem armare. Quamquam porro epiſtolæ hujuſmodi non leviter illorum Patrum animum commoviſſent, neuter tamen tentare voluit quod poſcebatur; tum quia Veneti Patriarchæ animus non ita facile flecti potuiſſet; propterea quod nihil ea de re immutare, antequam ſibi Romanorum judicum voluntas innoteſceret, decreviſſet; tum quod nulla habenda videbatur earum ratio epiſtolarum, quæ brevi morerentur, quemadmodum iſtius generis ſcriptionibus contingere quotidie conſpicimus. Verum ingenti eorum damno res aliter accidit: juſſiones namque ſuas nihili factas cum vidiſſent, ineunte Anno MDCCXLVII., horrendam calumniam in vulgus diſſiparunt: Venetos nempe *Dominicanos Patres ultra centum quinquaginta millia aureorum fœnori Genuæ poſuiſſe*; eo nempe tempore, quo clariſſima hæc Ligurum Urbs, Longobardia a Gallis Hiſpaniſque relicta, Auſtriacorum armis premebatur. Fabulæ totum Æſopum olenti pauci initio fidem habuerunt: plerique vero obſtupuere, Jeſuitas hæc evulgare, quorum ingentes divitiæ, atque in ultimas uſque Orbis partes negotiationes nemini ignotæ eſſe poterant. At vero ii, ut majorem veritatis ſpeciem calumniæ conciliarent, & per ſe ipſi, & per emiſſarios oppido epiſtolam quaſi Genuæ ſcriptam jactarunt, & quaquaverſum ſparſerunt; in qua revera Dominicanos Fratres ingentem illam auri ſummam Genuæ lucro poſuiſſe dicebatur. Calumniæ huic omnium iniquiſſimæ pondus addidit Vir quidam in primis nobilis ex Societate Jeſu, qui per eos forte dies Genua Venetias venerat, & publici muneris obeundi cauſſa in Germaniam ad Cæſarem properabat (1). Hic rem ita ſe habere, quemadmodum fama vulgaverat, teſtatus eſt, & juramento etiam confirmavit, quidquid conficto illo atque iniquo epiſtolio tradebatur. Tum vero teſtimonium hoc, prolatum ab homine publicorum tractandorum munerum inſigniis pernornato, ubique fama celerrime vulgante, dici vix poteſt, quot quantique dictis fidem habuerint. Qui etiam coitionem, ac dolum antea ſuſpicabantur, tam illuſtri teſtificatione audita vulgato rumori illico conſenſere. Hinc magna in religioſos viros conflata invidia. Horrebat & deteſtabatur homines Venetus populus, quos cum ad eam diem pauperrimos credidiſſet, tantam poſtmodum auri argentique copiam alienam in urbem imprudenti, ac inſano conſilio tranſtuliſſe ſentiret. Rumor vero atque debacchatio ita creverat, ut præ dicteriis inſanientis vulgi jam non auderent cœnobio pedem efferre. Pervenerat quoque calumniæ fama ad thronum, ubi rumoribus ſæpe locus eſt. In re tam atroci, atque periculoſa ii homines, qui antea bonæ conſcientiæ freti teſtimonio hæſerant, quid inirent conſilii vix noverant. Re cum graviſſimis viris communicata, ab actione quacumque temperandum abſtinendumque viſum eſt, ne calumniæ, quæ forte brevi extingueretur, aliqua accederet fides, ac rumor magis ac magis percrebeſceret. At nulla hujus aut ſedandæ aut extinguendæ ſpe affulgente, ſed magis rumore manante, eoſque brevi a tota Venetorum ditione expellendos denunciante, poſtquam inimicorum impetus totamque belli procellam, ultra quam par videbatur, invicto animo ſuſtinuiſſent, in poſtremo diſcrimine nequaquam lenibus opus eſſe remediis rati, omni ope enitendum cenſuerunt, ut in ſe conflatam artificioſiſſime invidiam diſſiparent. Veneti ergo Senatus Patribus eas exhibere meditabantur comminatorias epiſtolas, quarum

(1) *Parco modo ejus nomini, ſed ſi opus fuerit, evulgabo, id tantum animadvertiſſe contentus, iviſſe quidem Vindobonam ad Imperialem Aulam, ſed irrito itinere, ac labore; nam non admiſſus quamcitiſſime domum reverſus eſt, nec tempus eſt nactus ulterius calumniæ diſſeminandæ, quam perjurio Venetiis confirmaverat.*



rum ſupra meminimus. At vero hæ, quæ initio prolatæ non obſcura veſtigia fuiſſent ad fraudis cubilia commonſtranda, tam ſero exhibitæ nihili eorum innocentiæ manifeſtandæ profuturas optime noverunt propter gratiam atque potentiam adverſariorum, qui totam Venetorum urbem præcipue ſuas in partes exquiſito artificio pertraxerant. Sic nimia eorum patientia nihil profuere cauſſæ hujuſmodi epiſtolæ, quæ initio tumultus Venetorum PP. aciem perſtringere ſummopere poterant, & religioſos homines a tam gravi timore, atque periculo liberare; ea ferme ratione, qua olim D. Patriarcham *Ignatium*, prolata in medium epiſtola, cauſſam jugulaſſe memoriæ proditum eſt (1) cujuſdam Michaelis Hiſpani, qui in ſe ſuoſque ſævam procellam excitaverat. Hiſce igitur in irritum cedentibus, cætera cuncta ii Patres præſtiterunt, quæ opportuna judicarunt. At jusjurandum quod Faurio Probabiliſtæ profuit, nihil ſanctioris doctrinæ vindicum cauſſam juvit; hæſerat enim nimis in animis plurimorum admiſſi criminis opinio, quam ut jurejurando, vel quavis alia teſtificatione divelli, aut extirpari poſſet. Cum igitur res Venetiis a ſententia flueret, læti ſucceſſu adverſarii totius illius Congregationis celeberrimæ conſternationem hilari vultu ſpectabant, & ruinam præſtolabantur. At Veneti Senatus Patres, totius æquitatis parentes, in tam gravi negotio nihil præcipitanter oportere decerni optime, ac ſapientiſſime arbitrati, communi conſilio totam rem ipſi cognoſcere, ac inveſtigare non dubitant. Quare non Genuæ ſolum, ubi monſtrum cubare mendax fama retulerat, ſed etiam in aliis Europæ urbibus Reipublicæ Adminiſtris mandarunt, ut rei huic dignoſcendæ inveſtigandæque diligenter incumberent. Verum poſt multam operam nihil auri repertum eſt non Genuæ modo, ſed nec uſpiam alibi ab iis Patribus poſitum. Atque hac maxime ratione diu ſuppreſſa, atque occultata veritas extulit aliquando ſeſe, ac malitia ſuperata proceſſit in medium, quæque machinamenta diabolus ad eam Congregationem deformandam, atque adeo præfocandam artificioſe paraverat, ea ipſa, moderante rem Numine, in eorum maxime dedecus atque ignominiam ceſſere, qui totam conſpirationem ſceluſque conflaverant. Cum vero calumniæ quam facillime confingantur, ægre vero ex hominum animis evellantur, eo factum, ut quamvis ii Patres multorum teſtimonio innocentiſſimi declarati fuiſſent, hæſerit tamen in pleriſque concepta opinio, jactura ſane illorum non levi, qui intentatæ perſecutionis damna longum ad tempus pertulerunt. Nunc tamen depulſa pœnitus & eradicata, celeberrimum hoc Dominicanæ Familiiæ Collegium altius in dies exſurgit, habebiturque ſemper tanquam inluſtre Chriſtianæ ethices præſidium, Ordinis Præd. ornamentum, atque inſignis Venetorum munificentiæ documentum. Calumniæ hujus iniquiſſimæ meminit *Patuzzius* (2); hujus vero hiſtoriam complexus eſt P. Bonaventura *a Coccaleo* (3) Ordinis Cappucinorum. P. Franciſcus Antonius *Zaccharia*, Prædicatorum Familiæ, atque illi maxime Congregationi denigrandæ ſemper intentus, enormem calumniam ſua in *Hiſtoria Litteraria* impudentiſſime recenſuit (4). Cumque jam ejus falſitatem quique homines noſſent, ipſeque auctor Hiſtoriæ de calumnia a ſuis conficta a *Patuzzio* (5) abunde edoctus fuiſſet, qua tamen eſt expudorata fronte, eandem denuo recoxit in quibuſdam epiſtolis, quas in ſui, ſuæque Hiſtoriæ defenſionem evulgavit. In his ſiquidem vafro artificio rem ita involvit, ut quamvis narrationem illam uti calumniam habere ſe ſimulet, ut *Patuzzio* gratificetur, a quo mitius, quam par videbatur, fuerat de impoſtura expoſtulatus, re tamen vera ſcelus confictum a ſuis, atque a ſe in *Hiſtoria Litteraria* relatum novis adductis teſtimoniis confirmare ſtudet, ac *Patuzzii* argumenta ſatis non eſſe ſcribit (6) ad calumniam tam atrocem diſpungendam. Jam vero

(1) *Jo: Petrus* Maffejus *Lib.* 2. de Vita S. Ignatii *Cap. VIII.*
(2) Latera trigeſima ſeconda in difeſa della *Storia del Probabiliſmo* ec. §. XLVII.
(3) Lettere di Ragguaglio ec. *ſub adſcititio nomine* Rambaldi Norimenis *Epiſt. XI. §. XIV. & ſeqq.*
(4) *Tom.* VI. *Hiſt. Litt. pag.* 397. *in hæc verba:* E quanto al denaro poſto in Piazze foraſtiere a frutto, ne ha avuti *Eraniſte* in Venezia de' *Domeſtici Eſempli*, comechè *pericoloſi ec.*
(5) *Tom. II. & VI.* Epiſtolarum Theologico-Moralium, *de quibus infra; ac in Epiſt. X. Operis, cujus inſcriptio eſt:* Oſſervazioni ſopra *la Storia Letteraria ec.*
(6) Difeſa della Storia Letteraria d' Italia, e del ſuo Autore. *Lett. VII.* I Leggitori dell' Era-

vero *Patuzzius* ipſum, ſocioſque ejus, qui venerant in partem criminis, non uno in loco reprehendit, factumque ab iis evulgatum puram, putamque calumniam fuiſſe coram Orbe toto teſtatus eſt. Hoc idem diſtinctius præſtitere alii, atque inter alios P. Bonaventura a *Coccaleo*, qui exacte integram facti ſeriem expoſuit, & Venetum Senatum eam in rem diligenter, uti erat opus, inquiſiiſſe fuſe conſcripſit. Mirum profecto ſcriptorem illum, qui ſe compoſitum ad benemerendum de omnibus gloriatur, alia argumenta poſtulaſſe! quæ etiam ſi prolata fuiſſent, de ſententia vix deceſſiſſet, quemadmodum Eruditis compertum eſt aliis in caſibus contigiſſe, in quibus de falſitate apertiſſime convictus eſt. Jam vero unum reſtabat, ut quemadmodum Veneti PP. Prædicatores declarati innocentes ab Senatu Sapientiſſimo fuerant, iidem publicum innocentes ab Senatu Sapientiſſimo fuerant, iidem publicum innocentiæ, fideique ſuæ ab eodem teſtimonium (quod facile obtinuiſſent) poſtulaſſent, atque toti Orbi terrarum hoc modo PP. plurimos Societatis tam enormis calumniæ eſſe architectos, vulgatoreſque nuntiaviſſent. Hoc certe *Hiſtoriæ Litterariæ* auctor viſus eſt popoſciſſe, dum allata a *Patuzzio* aliiſque argumenta ſui narrationem haud infirmare ſcriptitavit. Qua in re judicium in hoc ſcriptore quiſquis deſideret, dum publicum popoſcit teſtimonium, quod ſuæ Societati æternum hæſuram infamiam intuliſſet. Alia porro in hac rem dici poſſent, niſi mea in ſanctiſſimam Societatem Jeſu veneratio animum avocaret. Illud autem permirum cuilibet, & portento non abſimile videretur, niſi protinus hujuſce ſcriptoris, ac multorum ſociorum ejus infenſus in Prædicatorum familiam animus ænigma diſſolveret, *Hiſtoriæ Litterariæ* auctorem ſcilicet, qui ſe critices artis non peritum modo, ſed prope patronum ac vindicem venditat, non animadvertiſſe in graviſſimis rebus, in quibus honeſtimorum hominum fama, atque exiſtimatio agitur, non vulgi circumforaneos rumuſculos captandos, nec ſuis ſuſpicionibus eſſe fidendum, ſed certiſſimis, ac plene perſpicuis argumentis, ut olim dixit P. Lagomarſinius, non dico ſapientem, ſed ſanum duci oportere. At ipſe, aliique ipſi ſimiles plurimi, his omnibus proculcatis, Chriſtianæ critices, ſeu verius caritatis regulis, tum Concinam, tum Concellitas ejus crudeliter lacerarunt; ea certe ſolum de cauſſa, quod noxiis morum doctrinis bellum intuliſſent, ac ſecum ad ſuorum placita ſentire detrectaſſent. Hoc ſane propoſitum, quod eorum plerique, ingenti totius Societatis damno, tenuerunt, extremum hac noſtra ætate jam periculum ac fatum jure ipſis minatur. Iſti enim homines, qui maxime honorati atque illuſtres hodie viverent, dum in florentiſſimis Regnis, qui eſſe poterant, eſſe noluerunt, nulli jam ſunt, æternaque poſteris ſuis acerbæ recordationis monimenta reliquerunt. Magnum profecto cæteris exemplum, ut tandem aliquando moderentur rebus ſuis, atque cum quid ſecum ipſi meditantur, aut moliuntur, reminiſcantur ſupremis æterni Patris ſedibus aſſidere juſtitiam; ſi modo adhuc ſuam conſiſtere Societatem velint, quæ Catholicam Eccleſiam mirabiliter juvit, & illuſtravit.

## CAPUT XXII.

*De PP.* Lecchii & Bovii *S.J. ſcriptionibus adverſus* Hiſtoriam Probabiliſmi & Rigoriſmi.

ENarratis hactenus iis omnibus, quæ ad concertationem, P. Bernardini *Bentii* diſſertationis cauſſa exortam, ſpectare videbantur, nunc cætera eaque ſane fortiora, PP. Societatis adverſus *Probabiliſmi* Hiſtoriam tentamina percenſenda ſunt; ut quantum quidem ego polliceri audeo, abſolutam habeant caſtioris doctrinæ vindices notitiam acerrimæ diſputationis. Itaque PP. Societatis poſt infinitas in hanc Hiſtoriam emiſſas voces, ac poſt non parvi voluminis editos in eandem libros, non ſatis hæc eſſe arbitrati ad celerrimum illius curſum interrumpendum, atque avertendam ingentem cladem, quam Probabiliſticæ inferebat doctrinæ, fortiores milites excitarunt, quoniam *Sanvitalis Ghetiique* ſcriptionibus parum profecerant. Hi fuere P. Franciſcus *Lecchius* & P. *Bovius*, alter clari nominis Matheſeos

Eraniſtiche Lettere veggano eſſi, ſe le ragioni che vi ſi recano a tal comprovarlo (*per fatto calunnioſo e bugiardo*) ne li perſuadono. *Plura alia ibi leguntur de illa enormi calumnia, quam ipſe tamen Hiſtoriæ Auctor hiſtoriolam* (frattarello) *appellat, quæ longam mererentur commentationem, ſi perverſum hujuſce ſcriptoris genium perſequi foret neceſſum, aut opportunum.*



profeſſor, alter vero in Theologica Mediolani Societatis palæſtra veteranus miles, & morum ſanctitate doctrinaque ſpectatiſſimus. Hi duo homines, quum libros ſuos in Italia edere prohibiti fuiſſent, ad Helvetios incommodo itinere, & ingenti ſumtu ſe contulerunt, in eaque regione Abbatis Einſildenſis, Societatis, ut ipſi dicunt, devotiſſimi, uſi patrocinio eoſdem typis vulgarunt. Suſcepti a ſui ſociis itineris cauſſam a *Sanvitali* relatam (1), ut ineptam ſummæ levitatis fuerit percenſere. Lecchius hunc libro ſuo indidit titulum: *Avvertenze contrappoſte all'Iſtoria del Probabiliſmo*. In Einſilden A. MDCCXLIV. appreſſo Gio: Eberardo Kailin; *Bovius* vero ita ſuam Diſſertationem inſcripſit: *Dell'uſo delle Opinioni in materie morali Diſſertazione Teologica, in cui ſi eſpongono ſemplicemente l'origine, e lo ſtato della quiſtione colle ſentenze di diverſi Dottori Cattolici*, apud eundem. *Lecchius* elegantis ingenii vir concinna dicendi forma, urbaniſque ſalibus interſperſa uſus eſt. At cum Hiſtoriæ illius fundamenta firmiſſima diruere impoſſibile judicaſſet, cæterorum more, prætermiſſis ſcilicet præcipuis capitibus rebuſque cunctis graviſſimis, in levis momenti rebus univerſum Opus inſumſit. Quæ cum perfecit, licet ſociorum ſuorum immodeſtiam in ſcribendo non ſit ſecutus, non pauca tamen miſcuit, ac mutuavit a PP. *Carrattino* & *Millante*, quemadmodum alii ante ipſum fecerant; quaſi alio depromtis injuriis quivis ſine crimine lacerari poſſit. Tulit ingentes laudes *Lecchius* ab iis præcipue, qui morales quæſtiones idem eſſe putant, ac verſare parabolas, curſum fluminum moderari ac ſiſtere, & pontes efficere. *Bovii* autem Operis ſcopus ex titulo ſatis adparet. Cæteris ipſe callidior, doctiores probabiliſtas æmulatus innumeris ſubtilitatibus Probabiliſmum contexit. Qua in re maximam cauſſæ ſuæ utilitatem obvenire poſſe probabiliſtis ſemper viſum eſt. Cæterum modeſtiſſime cauſſam ſuam egit, neque Concinæ uſpiam, aut ejus Hiſtoriæ meminit, quam convellendam ex inſtituto minime ſuſceperat. Hinc manifeſtum eſt inſigne P. *Sanvitalis* mendacium, qui *Bovii* & *Lecchii* operam omnino neceſſariam fuiſſe putavit (2) *ut viva, ac ſincera haberetur* Concinæ, *Jeſuitarum multorum hoſtis imago, atque deſtrueretur deformis, indignaque facies Catholicæ Eccleſiæ, quam ille ſuis in libris expreſſerat*. Ita ferme latine ſonant ejus italica verba. Inſigne hoc eſt, ut monui, *Sanvitalis* mendacium; nam *Lecchius* ingenua, atque urbana ſcriptione uſus eſt: *Bovius vero* nec Concinæ, nec Probabiliſmi Hiſtoriæ unquam mentionem fecit, ut modo animadverti. *Lecchio* & *Bovio* objecit Concina *IV. Paradoxorum* librum, cujus præſtantiam atque fortunam, poſt recenſitas duas alias ejuſdem elucubrationes, perſequemur.

## CAPUT XXIII.

*Reſcriptum* Benedicti XIV. *Ad Archiepiſcopum Compoſtellanum Commentario illuſtrat, & ſui vindicias adverſus PP.* Millante & Carrattinum *vulgat*.

HOc loci mentio facienda eſt editi a Concina Commentarii in *Reſcriptum Benedicti XIV.* ad Archiepiſcopum Compoſtellæ. Evulgatis iis duobus diplomatibus, quorum ſupra meminimus (3), contraria interpretamenta in inſigni Hiſpaniarum Compoſtellana Diœceſi orta ſunt, atque inſtitutæ diſputationes. Compoſtellanus Archiepiſcopus optimo conſilio rem totam *Benedicto XIV.* aperuit, qui collaudato in primis cum ipſius Archipræſulis, tum univerſæ Hiſpanicæ gentis zelo ac religione, *Reſcriptum* ad eundem dedit, in quo pleniſſime poſtulatis ejus ſatisfecit. Concina, duobus jam ſcriptis de jejunio libris, nihil jam ultra hac de re conſcribere cogitaverat; at ex præteritis futura conjiciens, non defuturos ſcilicet, qui Pontificium *Reſcriptum*, aut nimis rigidum, aut arbitrarium nulliuſve fere momenti traduxiſſent, hujuſce *Reſcripti* illuſtrationem, ſuadente etiam Card. Dominico *Paſſionæo* (4) aggreſſus eſt, perfecitque A. MDCCXLIV., atque inſequenti vulgavit cum hac inſcriptione: *In Reſcriptum* Benedicti XIV. *ad poſtulata ſeptem Archiepiſcopi Compoſtellæ, jejunii legem ſpectantia Commentarius Theologicus*. 4. Venetiis apud Simonem Occhi MDCCXLV. In quo Commentario vere clariſſimeque oſtendit: Pontificem propoſitis ſibi dubiis ea dediſſe reſponſa, quæ & legis natura & juſtæ diſpenſationis regulæ poſtulabant; nihil denique novi oneris impoſuiſſe, ſed id declaraſſe duntaxat, quod ſacræ inediæ triſtitiæque

(1) Paradoſſi veri ec. *pag.* 29. (2) Paradoſſi veri ec. pag. 34. (3) Cap. XI.
(4) *Epiſt. XIII. pag.* 21. *& ſeq. & XIV. pag.* 24.

tiæque jura præſcribunt. Inſigni encomio Concinianum hunc commentarium laudavit ejuſd. cenſor F. *Silveſter* Merani, Epiſcopus Porphirienſis, & Sacrarii Apoſtolici Præfectus (1). *Benedictus* vero *XIV.* qua voluntate, animique gaudio cum priora Concinæ de jejunio volumina, tum præſens Opus exceperit, ex eo fit manifeſtum, quod ſumma dignatione ejuſdem non ſemel cum laude meminerit (2). Quæ quidem præclara doctiſſimi Pontificis teſtimonia haud obſcura ſunt Concinianæ virtutis monumenta, nec ulla unquam ejus adverſariorum invidia evaneſcent. Comperta hæc *Benedicti XIV.* in Concinam exiſtimatio cauſſam præbuit doctis auctoribus *Excerpti totius Italicæ, necnon Helveticæ Litteraturæ*, ut *Reſcriptum* hactenus laudatum recenſentes, ejuſdem Pontificis in Concinam dignationis memoriam ſervarent (3) Hoc eodem Anno MDCCXLV. Vindicias ſui adverſus PP. *Millante*, & *Carrattinum* vulgare tentavit. Dederat Anno MDCCXLIII. Kalend. Junii ad *Benedictum XIV.* epiſtolam, in qua id expoſcebat in hæc ferme verba: *ſe quidem de paupertate monachorum libos edidiſſe duos, eaſque in iis docniſſe ſententias, quas non ſolum Theologi, ac Canoniſtæ peritiores, verum etiam probabiliſmi aſſeclæ profiterentur: at nihilominus Veronæ librum prodiiſſe adverſus ſe non noxiis tantum, ſed omnino depravatis opinationibus refertum, quæ multas utique reprobandas laudarent conſuetudines monachorum. In hanc ſcriptionem ſe vindicias ſcripſiſſe ſui, ac proinde ab eodem petere ac flagitare, ut & illas edere, & SS. ejus nomini liceret ſibi conſecrare. Ex jam vulgatis libellis cognoviſſe quidem quantopere ſibi eſſet a multorum acerbitate pertimeſcendum; ſed hæc omnia parvi facere, ac prorſus contemnere, magiſque vereri ne animæ ſuæ detrimentum facturus eſſet: niſi rerum omnium reſpectum abſcinderet, eaque aggrederetur, ad quæ perficiunda conſcientiæ ſtimulis ac voce movebatur.* Probavit hæc Pontifex: ſed monachorum clamoribus exturbatus Concinæ reſcripſit, ut ſuarum vindiciarum editionem in aliud opportunius tempus differret; donec ſcilicet eorum vota preceſque frigeſcerent; qui ſuperiorum elucubrationum pondere adhuc premebantur. Monachorum inde precibus Concinæ ſilentium indictum eſt, ut ſupra eſt animadverſum: hinc Opus ab ipſo multo antea compoſitum delituit ad A. uſque MDCCXLV. Quo anno quum Romæ in Baſilica Principis Apoſtolorum Evangelii præconis officio fungeretur, ad Pontificem ſupplex acceſſit, cum eo de vi a monachis ſibi illata, ne ſui vindicias ederet, conqueſtus eſt. Pontifex, rei æquitate comperta, libri ſuis ſub auſpiciis evulgandi facultatem ultro ac libenter largitus eſt. Quare prodiit cum hoc titulo: *Defenſio Decretorum Concilii Tridentini, & Apoſtolicarum Conſtitutionum Ro-*

*manæ*

(1) Vir doctiſſimus P. Daniel *Concina* Ord. Præd., quem alias Probabiliſtarum, quos dicunt, malleum appellare conſuevi, in Opere quod noviſſime inſcripſit: *In Reſcriptum Benedicti XIV.* tanta eruditionis copia, tanta ingenii vi propoſitum exſequitur, & effrænes quorumdam Caſuiſtarum opiniones circa diſpenſatorum jejunium refellit, ut plane gaudendum ſit, & D. O. M. gratiæ agendæ ſint quamplurimæ, talem ævo noſtro datum fuiſſe Pontificem zelo, integritate, judicio, doctrinaque ſummum, qui puriorem, in eo capite diſciplinam, edita lege, inſtauraret, & depravatis prædictorum diſpenſatorum moribus tandiu optatum modum imponeret.

(2) *Tum in Encyclica* Libentiſſime, *in qua hæc leguntur*: Non defuerunt etiam præſtantes inter italos Theologi, qui Litteras noſtras Apoſtolicas datas A. MDCCXLI. egregiis Commentariis illuſtrarunt. Idem contigit reſponſo, quod fecimus Archiepiſcopo Compoſtellæ die octava Junii, quod ſane integrum ſuis Libris præfigendum curarunt. *Extat hæc epiſtola Tom.* 1. *Bullarii* Benedicti XIV. *pag.* 523. *Tum etiam in Libro X. aurei Operis* De Synodo Diœceſana *cap.* 3. *num.* 2.: Ea admixtio, ſeu carnium una cum piſcibus comeſtio ob adjunctum ſcandalum, a quo vix ſejungi poterat, jure ac merito etiam ſub pœna excommunicationis fuit in præfatis Synodis interdicta; quemadmodum bene ponderat Daniel *Concina* in ſuo Commentario Theologico ad poſtulata Archiepiſcopi Compoſtellani §. 1. num. 50.

(3) *Tom. II. Anni* MDCCLVIII. *pag.* 205. *In Elogio* Benedicti XIV. Quum Compoſtellæ Epiſcopus, in Decretis Pontificiis de jejunio Anno 1741. promulgatis hæreret, ſuavi eruditionis apparatu ſcrupulos exemit: hæc ipſa reſponſa Daniel *Concina*, cujus judicio, in rebus ad doctrinam moralem ſpectantibus, Pontifex multum tribuebat, Commentario edito perſecutus eſt.



*manæ Eccleſiæ adverſus Libros inſcriptos:* Vita Clauſtralis, & Vindiciæ Regularium. 4. Tom. II. Bononiæ (Venetiis) MDCCXLV. Quo in Opere doctrinam abs ſe in *Diſciplina Apoſtolico-monaſtica* adſertam non defendit ſolum, ſed Epiſtolam quoque *Exegeticam* P. *Carrattini*, & Cenſuram in ſui librum mox laudatum, caſtigavit. Hoc eodem anno duas alias elucubrationes adverſus PP. *Sanvitalem* & *Ghetium*, quas ſupra (1) ceu commodiori in loco, memoravimus, publici juris fecit. Adverſus eumdem P. *Carrattinum* Concina, rogante quodam Monacho Caſſinenſi, epiſtolam ſcripſit, quæ vulgata eſt cum hac inſcriptione: *Epiſtola* ad Polycarmum *Virum Cl.*, *in qua B. Nicolai* Juſtiniani *Veneti Monachatus a fabulis, vaniſque commentis aſſeritur.* 4. Tridenti A. MDCCXLVI. ac Venetiis A. MDCCLV. Alia epiſtola ad *Amicum* adverſus *Carrattinum* Venetiis hac de re vulgata eſt A. MDCCXLIII. auctore, ut accepi, Nicolao Ant. *Juſtiniano* Monacho Caſſinenſi, & modo Veronenſium probatiſſimo, ac doctiſſimo Epiſcopo. Hunc exitum habuit celeberrima de paupertate Monachorum controverſia, in cujus ortu, atque progreſſu eos Concina acriores, acerbioreſque expertus eſt, quos omnium judicio mitiores habere debuerat.

## CAPUT XXIV.

*Adverſus PP.* Lecchium & Bovium *IV. Paradoxorum librum evulgat, qui cum in Italia, tum in Galliis præcipue miro favore excipitur.*

E Lucubrationibus PP. *Lecchii*, & *Bovii* nullum dare reſponſum Concina decreverat, tum quod rebus aliis eſſet diſtentus, tum eo potiſſimum quod ſuæ Hiſtoriæ fidem adhuc optime conſtare dignoſceret. Re poſtmodum denuo perpenſa, admiſſoque prudentum virorum judicio, ne quid præjudicii cauſſæ contigeret ſuæ, & ſcriptorum illorum nomina ac fama, ut ſæpe hæc etiam imponunt, nonnullos fallerent, reſponſum aggreſſus eſt, quod edidit cum hoc titulo: *Eſplicazione di quatro Paradoſſi, che ſono in voga nel noſtro ſecolo. Rifleſſioni ſopra i due Libri de' RR. PP.* Lecchi *e* Bovio *intitolati* Avvertenze ec. *e* Diſſertazioni ec. *Si premette un ſuccinto ragguaglio de' Libri ſtampati da alcuni Probabiliſti in difeſa del Probabiliſmo, e di altri punti Morali.* 4. Lucca MDCCXLVI. Inſcriptum eſt Opus Angelo Mariæ Cardinali *Quirino*, cujus egregias virtutes veriſſime in dedicatoria epiſtola Concina expoſuit. Præmiſſa poſtmodum narratione libellorum, quos quidam Theologi, *Mammillariſtæ* appellati, in Bernardini *Bentii* defenſionem vulgaverant, quatuor Paradoxorum aggreditur explanationem. Primum Paradoxon circa *Tutioriſmum* & *Rigoriſmum* verſatur, quo tantopere moderni Probabiliſtæ ad conflandam caſtioris ethices vindicibus invidiam utuntur, & qualibet fere pagella in ſcenam producunt. Hac occaſione nonnulla quoque refellit, quæ in examine Dialogorum P. *Ghetii* prætermiſerat. Secundum Paradoxon, quod frequentius ex ore Probabiliſtarum audias, eſt prudentia illa & zelus *ſecundum ſcientiam*. In tertio caritatem expendit, qua excipiendos noxiarum magiſtros doctrinarum Probabiliſtæ contendunt. In quarto demum de pace diſſerit, quam quidam ſervandam vellent, ut laxiores opinationes, nemine contradicente, liberius diſſeminarentur. Hiſce quatuor Paradoxis quintum adjecit adverſus P. Jo: Dominicum *Manſium* Lucenſem, Clericum Congregationis Matris Dei, celeberrimum Probabiliſtam, & modo in Patria ſua Archiepiſcopum, atque PP. Soc. ſtudioſiſſimum. Hunc Concina ſubdubitanter, illuſtris viris innixus teſtimonio, auctorem fecerat *Moniti*, quod *Ghetii* Dialogis præfixum fuit; ejuſque doctrinam de tactibus verendarum partium, ab eo patriæ vel amicitiæ more & conſuetudine cohoneſtatis, in tractatu *de Caſibus & Excommunicationibus reſervatis*, Lucæ edito Anno MDCCXXIV. in *Theologico Examine* perſtrinxerat. *Manſius* arrepta occaſione ſuas proferendi vindicias, epiſtolam edidit, cujus hæc eſt inſcriptio: *A. R. P. Danieli* Concina *Ord. Præd. Theologo abſolutiſſimo, S. Lucæ e Collegio S. Mariæ Curtis Orlandingorum die 6. Julii* MDCCXLIV. typis Joſephi Salani & Vincentii Junctinii. Totum proinde Concina Paradoxon V. adverſus *Manſium* inſtituit, quem male omnino, atque imprudenter ſuo in tractatu uſum ænigmate *Siglæ*, ſeu *Ecetera* evincit. *Manſii* deinde de impudicis tactibus doctrinam denuo examini ſubjicit, & ab ſe, ne apicis quidem inducta mutatione, allatam & caſtigatam eſſe demon-



(1) *Cap. XIV.*

ſtrat. Refert deinde ejus doctrinam fuiſſe doctorum virorum oculis ſubjectam; inde recenſitum *Manſii* tractatum ad ſacram *Indicis* Congregationem delatum dignum eſſe habitum proſcriptione (1). Hæc cum non bene legiſſet P. *Sarteſchius*, dum Concinam falſitatis nititur expoſtulare, duo ipſe mendacia ſcribit (2). Primum mendacium eſt: Concinam libellum *Manſii* ſacræ *Indicis* Congregationi denuntiaſſe, ut *Sarteſchius* putat; alter enim id præſtitit, quemadmodum Concina ipſe eidem *Sarteſchio* ſignificavit (3). Secundum mendacium eſt Concinam eo loci ſcripſiſſe *Manſii* Tractatum fuiſſe damnatum; id enim unum aſſeruit, illum proſcriptione dignum fuiſſe judicatum, nec minimum ſollicitus, cur non id poſtea contigerit. Differunt autem hæc duo inter ſe plurimum: Opus aliquod fore dignum proſcriptione, & revera configi anathemate. Sed ad propoſitum redeamus. Concina poſtquam eo toto *Paradoxo V. Manſii* doctrinam expoſuiſſet, atque caſtigaſſet, ejuſdem latinam ad ſe datam epiſtolam refert, & ſubjectis brevibus enarrationibus nec inurbane nec inerudite perſtringit. Inde animadverſiones ſuas in *Lecchii* & *Bovii* (4) libros proponit, eaſque ſubjungit, quas in *Trevoltianarum* Ephemeridum ſcriptores paraverat, adverſus quos extat: *Addizione di alcune brevi Oſſervazioni ſull' Eſtratto, che i RR. PP. Trivolziani hanno fatto del Libro del P.* Millante *intitolato:* Vindiciæ Regularium &c. Hæc ſunt, quæ Concina complexus eſt in *quatuor Paradoxorum* libro, qui inter illuſtriora, ac maxime noſtra ætate peropportuna opera merito recenſetur. P. Jacobus *Sanvitalis*, cum præ ſenectute, atque oculorum infirma acie hujus Concinæ Operis ſplendorem ferre non poſſet, miſerrimam Lucæ edidit opellam ſic inſcriptam: *Paradoſſi veri contrappoſti al libro intitolato:* Eſplicazione di quatro Paradoſſi, che ſono in voga nel noſtro ſecolo. *Eſame pur anche di certo libro intitolato:* Rifleſſioni ſopra le avvertenze e diſſertatione *contrappoſte alla Storia del Probabiliſmo*. In Aquileja MDCCXLVI. Concinæ interim libro ubique vulgato, ſummaque cum laude excepto, nulla ſenis hujuſce conatuum habita ratione, auctoris nomen non ſolum in Italia, ſed in aliis etiam regionibus evaſit. Gallice redditus omnium approbationem ac ſuffragia meruit. Prodiit hæc verſio Avenione, huncque titulum in fronte gerit: *Explication de quatre Paradoxes qui ſont en vogue dans notre ſiecle; avec une Preface, dans là quelle on rende compte de ce qui s'eſt paſsè en Italie a l' occaſion de l'Hiſtoire du Probabiliſme, e de la condemnation des nouveaux Mamillaires. Par le R. P. Daniel* Concina, *Dominicain de Veniſe. A Lucques* MDCCXLVI. *ſous les auſpices de M. le Cardinal* Quirini, *Eveque de Breſſe, & Bibliothecaire du Vatican. Ouvrage traduit de l'Italien, & augmentè d'une Relation exacte des diſputes ſur la morale, qui ſe ſont elevèes par de la les monts depuis 1739. & un Recueil des Decrets portès par N. S. P. le Pape Benoit XIV. contre pluſieurs opinions relachès. Par M. le Chevalier* Philalethi *Venetien.* A Avignon chez Jean Girard Rue Mercerie MDCCLII. in 12. Quanam de cauſſa *Philalethes* verſionem aggreſſus ſit, ſua in epiſtola Concinæ expoſuit. Sub hoc nomine vero latet eximius vir, Italis non ignotus P. Franciſcus *Du Four* Ord. Præd. in Toloſana Academia Regius ſacræ Theologiæ Profeſſor, qui ſe Gallicæ verſionis auctorem altera in epiſtola Concinæ manifeſtavit (5). Tanto porro plauſu Gallia univerſa Concinæ librum excepit, ut quatuor editiones ibidem curatæ fuerint, atque illico per vaſtiſſimam regionem diſperſæ, ut ex alia colligitur ejuſdem P. *Du Four* epiſtola, data Toloſæ die 2. Aprilis Anni MDCCLIII., in qua inter cætera hæc ſcribit: *J' avois ecrire a Paris; & je demandois une demi-douſaine d'exemplaires des Paradoxes, que je voulois vous envoier. On m'a rèpondu qu' il n'en reſte plus aucun; que le quatre editions qu'en a faites ont etè enlevèes dans le moment où elles ont paru; & que cet Ouvrage à eu un ſuccès au de là de toute expreſſion. Je tranſcrie volontiers ces paroles; parceque l' eloge qu'elles renferment vous regarde uniquement.*



(1) §. XXIII. (2) De Scriptoribus Congregationis Clericorum Regul. Matris Dei *p.* 354. (3) *Vide* §. *III. Appendicis ad Librum inſcriptum*: De Teatri Moderni ec. *pag.* 359. (4) Profundam & doctam, *ut P. Franciſci* Zachariæ *verbis utar*, P. Bovii *Diſſertationem egregie exagitavit Petrus* Ballerinus *in* Moralium Actionum Regula, *edita Venetiis apud Sim. Occhi* MDCCLVI. *Unde queri amplius non poterit leviter tantum eandem* Bovii *Diſſertationem a Concina excuſſam fuiſſe.*

(5) *Epiſt. XXXVII. pag.* 56.



*Je ſuis donc rèduit, mon très Reverend Pere, à vous envoier ſeulement deux exemplaires qui moi reſtoient, l' un reliè, l' autre brochè .... Deſque vous en aurès fait la lecture; aies la bontè de me communiquer vos obſervationes. On y aura ègard dans les editions qui ſuivront; je ſuis perſuadè qu' il s'en fera encore plus d' une.* Cogitaverat idem P. *Du Four* Hiſtoriam Probabiliſmi & Rigoriſmi Gallico idiomati reddere. An verſionem, cui manus admoverat, abſolverit, mihi non exploratum. Erat tamen hæc res maxime optanda, unde Galli clarius dignoſcerent ſuos quoque eoſque fortiſſimos habere Italiam rectæ morum doctrinæ propugnatores, atque imperterritos Vindices.

## CAPUT XXV.

*De libris PP. Franciſci* Richelmii *& Gaſparis* Gagnæ *S. J. adverſus* Hiſtoriam Probabiliſmi, *deque Concinæ in eoſdem Epiſtolis.*

QUum igitur *Lecchii Boviique* ſcriptiones non multum animos eorum conſolarentur, qui Concinianæ Hiſtoriæ adverſabantur, alii eandem ſpartam ornandam ſuſceperunt; Joannes ſcilicet Franciſcus *Richelmius*, qui eadem de re jam infeliciter cum Petro *Ballerinio* conflixerat, & Gaſpar Joſeph *Gagna*. Hi duo libros non parvæ molis Anno MDCCXLVI. evulgarunt, quamvis anteriori anno editos frons eorum admoneat. *Richelmius* ſic Opus ſuum inſcripſit: *Saggio di avvertimenti ſopra l'Opera del P.* Concina *intitolata: Della* Storia del Probabiliſmo ec. In Lubiana MDCCXLV.; ſed revera Venetiis apud Andream *Poletti*. Atque hic eodem fere modo ſe geſſit, ac cæteri ejuſdem ſocii, qui Concinianam Hiſtoriam labefactare aggreſſi ſunt; magni nempe momenti rebus diſſimulatis plures adeo ridiculas, & ad nauſeam repetitas animadverſiones congeſſit, ut eundem cum *Sanvitali* comparare minime dubitaverim. *Gagna* vero hunc indidit libro ſuo titulum: *Lettere di Eugenio Apologiſta delle Diſſertazioni della* Storia del Probabiliſmo e del Rigoriſmo *ad un Collega del P. Daniello* Concina. In 4. Lubiana MDCCXLV. Atque hic *Gagnæ* liber cæteris hactenus in Concinam editis mole major, ſubtilior etiam & captioſior eſt habitus, atque idoneus ad eos decipiendos, qui in externo verborum cortice hærent. Incredibili enim animoſitate, ac temulentia Concinam excipit, victorioſe ſemper, atque intrepide crocitat, cunctaſque in ſubſidium ſui vocat artes, quibus levis mentis homines facillime capiuntur. Ii contra, qui librum hunc apprime verſarunt, ejuſque viſcera ſunt perſcrutati, non modo decantatum ab Jeſuitis in eo robur non invenerunt, ſed etiam pejorem, ac debiliorem cæteris judicarunt. Magni voluminis Opus in quatuordecim epiſtolas, totidem dialogis expreſſas, diviſum eſt, in quibus loquentes inducuntur Eugenius, qui Concinæ perſonam gerit, Theopiſtus, Arcades, Epiſcopus, Reverendiſſimus Abbas, qui ſe *Archijeſuitam* profitetur, Canonicus, Vicarius Foraneus, Epiſcopi æditūus, Valerianus & Placidus præsbyteri, Regens Franciſcanus, Carmelitæ duo, Clerici Regulares, Somaſchenſes, & alii una cum Seminarii Alumnorum turba, Comitiſſæ cuidam in Comitem iratæ plaudentium Neve quid ad hanc comicam repræſentationem deſideraretur, munera etiam & potiones recreandis animis *Gagna* opportune introduxit, una cum muſicis inſtrumentis aliique ſimilibus rebus, quibus callidi homines cum plurimum exultant & delectantur, tum deſperatæ cauſſæ patrocinium quærere ſolent. Adverſus *Richelmium* & *Gagnam* ſcripſit Concina quatuor epiſtolas, quæ manu exaratæ in quibuſdam Bibliolhecis inveniuntur. En earum inſcriptio: *Lettere ai RR. PP.* Richelmi *e* Gagna *Autori delle due Opere intitolate* Saggio di avvertimenti ec. *e* Lettere di Eugenio Apologiſta &c. *contro la Storia del Probabiliſmo e del Rigoriſmo*. Harum epiſtolarum ſpecimen exhibet *Patuzzius* (1), qui etiam Concinianam Hiſtoriam adverſus hoſce duos ſcriptores ſtrenue vindicavit. Jeſuitæ ſummis celebrarunt laudibus *Gagnæ* epiſtolas, earumque præſtanſtantiam ubique jactarunt. Cumque hic Romam migraſſet, illuc a Pontifice vocatum e Gallia Subalpina dixerunt eo quod de facie noſſe hominem cuperet vehementer, qui tam egregie de *Probabiliſmi Hiſtoria* triumphaverat. Adeo nihil neglexerunt, quo fabulis etiam confictis, famam ſcriptoribus ſuis conciliarent. Grata Societas *Gagnam* ad Provincialatus, ut dicunt, extulit honorem ac munus, qui tamen ob multiplices aberrationes gradu quocun-



(1) Lettera ad un Amico §. XCIX.